
COLAI

PERA.

usII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

H. XIII. 10.

Liber
Novo Tacin.
937./III.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

Adl. 23

D. O. M. A.

De COGNITIONE HUMANA UNIVERSA.

Hoc est,

De omni ſcibili humano, qvod ab intellectu hominis cognoſci poteſt,

Tractatio Singularis.

Duabus Exercitationibus comprehenſa.

Cognitionem & Cognoſcibile humanum cum univerſis ſpeciebus ſub ſe contentis repræſentans. Ut Gnoſtologiæ, Technologiæ, aut omnium diſciplinarum generalis Præcurſoris vicem tenere qveat.

Adjecta Præmeſſæ ac Mantiſſæ loco de moribus & naturis gentium

Succincta Commentatio.

Qvæ Apertæ Gentilis vice eſſe poſſit.

AVTHORE

HENRICO NICOLAI,

Phil. & Theologo. Apud Gedanenſes Profeſſore.

DANTISCI.

Ex Typographeio Viduæ Georgii Rhetii.

Anno à partu Virginis Matris,

M. DC. XLVIII.

7.

LECTORI ERUDITO S.

POst *ſpecialia, Lector Erudite*, generalem Cognoſcibilis humani univerſi repræſentationem *accipere non jnutile, nec injuſtum fuerit*. Præcurſor & Anteambulo *diſciplinarum*, Gnoſtologia, Technologia, Panſophia *brevi culo exhauſta, eſſe posſit, uti cupias. Meliora ſi ſuppetunt, ſuppedita. Non odimus ea, ſed eò manuducere allaboramus.* Cura Cognoſcendi, *qvâ ad cognitionem deveniatur, De qvâ t. 33. mentio*, impedimenta removere, *ſtuporem, ſervitutem, Confuſionem*, Adiumenta ſuppeditare, *ſagacitatem, laborandi curam, ordinem, exercitationem, oſtendere debet*. Ingenio *qvia hic opus, nec naturâ ſervum facilè liberum formare hominis ſit, diverſa ingeniorum morumq́ in gentibus noſcere, notare, tradere*, ut præmeſſam argumento huic præmittere *non á loco hoc alienum videri debuit. Vetus, nec infreqvens Calumnia eſt, convitium eſſe, naturam, mores, genium gentis notaviſſe. Antehac ſcriptis noſtris non inexperta, noviter etiam inſcitè affricta, occaſionem excutiendi miniſtrent. Exui ſtodidâ cenſura, nec alienæ ſtoliditati ſuccedaneum fieri debere prudentem hic leges, obſervabis, perſpicies. Qvod te facere*, Lector erudite, DEO *verboq́ gratiæ ejus commendatum eſſe, exopto.*

D. O. M. A.

APERTA GENTILIS.

Sive, de moribus & Naturâ gentium, Brevis Commentatio.

SIne nocte mortalibus diem non eſſe qvotidiè comperimus, ſed flexo in veſperam die heſperugo inumbrat, perpetuæq; infimi äeris hæ ſunt vicisſitudines: Sed nec ſine calumniâ vitale ævum degit homo, licet optimum. Spartanâ nobilitate Stoicovè ſtomacho *vel* concoqvenda interdùm ſunt ſeculi convitia, nec animus vulgarium dedignator his in ordinem compingendus eſt: *Vel* ſcriptis aut reſponſis qvandoq; retundenda, Vt per proprium jugulum in pectus convitiantis aconitum remeare cogatur. Id jam præſtare neceſsitas monet, qvando ſcriptum meum atro dente in publico notatum fuit ab eo, qvem longè meliore ſale ſua defricata proponere decuit. Facilè qvidem Momum, Noctis filium ab antiqvitate dictum, contemnere ſit. Sed veri ſpecie qvandoq; hærent, qvæ præter convitia & calumnias nihil de vero trahunt. Eò *non ad omnia univerſim tacendum, ne aut veri defenſionem declinemus*, aut in nos ipſos iniurii ſimus. Sed apologiæ vice etiam Laconum acroama in Clazomeniorum obtrectationes rejectum qvan-

doq; proferre fas est: *Clazomeniis licet esse fratriis.*

2. Scripsi in *Tract: d. Notit: naturalib. C. 6.* Diversitates ingeniorum experientiâ teste animaduerti, unumq; promptiùs, alterum tardiùs & difficiliùs scientias admittere. *Græcos, Romanos, Italos, ingeniosos* & ad capiendum faciles, *Thraces, Ibernos, Hungaros, Arcades, Tartaros*, stupidos & tardos ad intelligendas artes esse. Res publico experientiæ testimonio fulta, multisq; scriptoribus ante secula jam decantata & approbata, Vt hic *t. 7. 8.* pluribus constabit. Nec excepta finisteriùs, nisi qvod de Hungaris admistis Sisennâ aliqvem commomordit. In defensionem gentis exsurgens fanaticâ molitione Pittacium lacesſivit. Qvod uti egregiè cesserit, propiùs contuendum. Attollere n. verba mea per malitiam visum fuit. Et cum Brenno gladium in stateram projicere, cum aurum Romanis appenderetur. Impudenter tamen se gessit, sæpeq; luculentè à vero dilapsus. Et in calũniando paratus, qvi freqventer adhibuit, Et in pluribus ineptè defensionem molitus est. Sed signis liqventibus absoluendus erit, qvorum fides efficere qveat, ne ampliùs mentem ejus jactæ in pravum suspiciones solicitent, aut contumeliæ in meliora promeritos despumatæ peruertant.

3. Principiò statim in calumniam, velut in stupam pullus, se induit. Interpretatus Verba mea,

qvasi

qvasi affectus, contemptus, odij in gentem, contumeliæ calumniæq; non incerta argumenta. Atqvi *ante annos* 7. & ultrà jam concinnatus *Tractatus*: Nunc demùm in lucem protractus. Vnde *tot annorum odium aut contumelia* in gentem, nec beneficiis, nec injuriis cognitam, de qvâ per ingens spacium ne memoria qvidem, aut cogitatio? Et verba ipsa ne visui qvidem interea subjecta, ut affectus umbram animo inferre potuerint? Vndè post tot annos in scriptum & gentem unam odium, Cum *diversas junctas* videat, de qvâ affectus suspicio ne subire qvidem apud intelligentes possit? Nam *Thraces, Iberni, Tartari, Arcades*, simùl nexi. Qvid, aut unde affectum elicient, ut ex eo verba defluxerint? Passim *Historicis*, *Philologis*, *Scriptoribus*, *Pöetis*, ista usurpata & pervulgata, Vt & *proverbiis* locum fecerint? Sed in frontem defensionis malitiosâ interpretatione, in qvam verba tortuosus interpres distorqvet, sensum corrumpere maluit, qvàm modestiâ temperare: Possunt & diversitates gentium sine affectu recenseri, & qvod passim aliis Scriptorib. præstitum, *Nobis* repeti, unde tamen affectus, convitii, calumniæ, suspicionem nemo commovere debeat, nisi oris infruniti, suiq; affectus non capacis. *Germanorum* veterum barbaros ac agrestes mores *in Germaniâ suâ Tacitus* sat apertè notavit. Nemo ex affectu traditum, sed ex vero istius temporis magnam partem traxisse, interpretatus est. Inge-

4. Ingenioſe tamen defendit! Sunt qvædam egregia ingenia in eâ gente, ut Thurzo. Solus enim nominatus, nec ultrà qvisqvam appoſitus. Non ergò ſtuporis aut tarditatis in capiendo inſimulanda. At nihil hic promitur, qvod non pari jure in *Arcades*, *Thraces*, *Boeothios*, declinem. Qvædam enim ingenia inter illos non abſurda. Nec ulla gens ſub Sole adeò barbara, ut non qvædam bona ingenia extulerit. *Thraces* hodie *Turcæ & Conſtantinopolitani.* In Thraciâ enim Conſtantinopolis. Qvid illi ingenio posſint, qvid fraudulentiis perficiant, qvid bellico aſtu pertendant, & Chriſtiani malo cum ſuo non ſemel experti, & Itineraria paſſim docent, & Hiſtoriographi ſubinde inculcant, & experientia publica, ac qvi loca adierunt, & viſerunt, atteſtantur. *Rauwolfij Itinerarium ac Barclaij Icon animorum* ſatis edoceant. Hæc adire & conſulere ſatius ſit, qvàm ruditatem in publico proſtituere? Et tamē ſtupor gentium Proverbiis locum fecit, & manet duratq; adagiorum in præſens uſus; Nemo qvisqvam ringitur, aut rixatur. Neq; ſi unus tricari velit, literatus Orbis proverbia convellet! *Vna alteraq; hirundo ver non faciet*, ut non verè iſta in gentem iactentur. Nimirùm, gens ipſa rudis, ſtupida, ad literas tardior eſſe poteſt, ut & rara tamen qvædam ingenia in eâ, qvæ non talia. *Vera* manent proverbia, & *verè* gentes ita discernuntur, ut aliæ

ing-e

ingeniosiores, aliæ tardiores affirmentur, ut maximè aut Arcas id non agnoscat, aut Boeothius non capiat, aut ilia etiam Codro rumpantur! *Suecos, Norvegos*, Gothos, *Scaliger* belluas dixit, Scotos nō minùs, ut *t*, 8. videbo. Ergonè magnum illum *Suecorum Cancellarium* extra ingenium collocabis, cum ê gente, & ingenio tamen Orbem terrarum concusserit? Aut ê *Scotis* magnum illum *Jacobum Regem*, regum miraculum, ad stupiditatem beluarū damnabis, aut *Buchanano* Regio Præceptori ingenium derogabis, qvod è Scoticâ gente illi? Aut subtile cerebrum *Johanni Duns*, cognomento *Scoto*, negabis, qvòd in gentem ejus ita in Orbe sui & futuri seculi sine æmulo Cæsar *Scaliger*? Nempè & vera de gente hic prædicavit: & ingenium raris in gente unionibus asserere debes. Nam si seqviùs, aut omnibus in universùm ingenium para, aut universos in stuporem demerge, aut tibi ruditatem addice, qvi & in liqvidis frustrà convellere mediteris, & albâ amussi sine discriminis cuncta undiqvaq; omnia converras. Ita *Cretenses Epimenides* & ex eo *Apostolus* semper mendaces & malas bestias dixit. Nec tamen nullum inter eos veracem aut bonum hominem extixisse, insigni insulsitate concludes. *Nemo bonus Brito est*, dixit *Ausonius*. *V*. *t*. 7 8. An hic obbrutesces, ut nullum mortalium è Britonibus sine omni malâ malitiâ civem agnoscas, adversùs Naturæ & vocem, & sensum?

Vnga-

5. *Vngaros* tamen etiam tueri satagit, qvòd è gente ipse sit, satiusq; occupet? Atqvi aut *omnes* ibi junctos defendat, aut *nullum* sibi defendendum suscipiat. Qvid n. unius defensio proficit, cum multorum societate paritas intenditur? Qvòd si inter cœteros & *Arcas*, *Thrax*, *Tartarus*, adfuisset, an ad defensiones statim procurrendum, & genius gentium rectè notatus non potiùs agnoscendus? Qvasi verò proverbiis interitus parandus, qvòd *Arcades aut Thraces Arcas* aliqvis tueri velit? Aut minùs gentium mores exprimere liceat, qvòd defendere aliqvis velit? Aut primi simus, qvi talia dicamus, qvod mille ante nos nullo contradicente occupârunt, Vt *t.* 7. 8. videbitur. Vel nobis excusati paranda, vel cæteri omnes in eandem accusationem illigandi erunt. Qvid si *crudeles* dixissem Hunnos, qvod communiter genti impingitur, *V. t.* 10. An melius qvid stupore aut tarditate dixissem? Aut convitium genti fecissem? Sed de Hunnis suis Hungarisq; Hungarus ipse ut testimonium dependat, fas erit. Aut Hungarum commissurus, aut confutaturus est. Namq; & optimè genium gentis suæ noverit, & meliùs, ac qvi nondum in Orbis commercium emissus, liberèq; prompserit. Est is *Ianus Varadinensis Præsul*, qvi apud Vladislaum Bohemiæ regem ab Hungaris ad regnum capessendum uocatum apertè testatus est, Hungaros multum lupi in se habere. *Lud. Tubero* Dal-

mata

mata, & Hungarici regni civis, plerosq; eorum in omne ferè facinus pecuniâ impelli solere asserit. *Oliverius* Galliæ Cancellarius nihil illis levius & inconstantius dixit, subinde dominos mutare, *Germanos* adeò aversari, ut Turcicum Imperium præferant. *Otho Frisingensis* moribus & linguâ barbaros illos & feroces dixit, ut jure fortuna culpanda, qvæ ne hominibus, sed talibus hominum monstris tàm delectabilem terram exposuerit. Qvalia multa *Lansius in Consultatione* suâ adducit. Qvæ inqvirere primùm ac perlustrare, qvàm verba nunqvam cum his in paritatem ventura sugillare, aut in se innoxia flagitiosâ interpretatione corrumpere, præstiterit.

6. Sed pari ratione & *Germano* stupiditas jnuratur, cum & qvidam in illis tardiores, Inter qvos & præclara ingenia intercurrere notum. *Verùm in quem*, in qvam, *Germanum id qvadrabit?* Et cur Hunnus non distinguit, omnia indigestè converrit? *Germanus n. superior est, inferior, qvi Belga, & qvi ad Balthium, ut Scaliger ex. 51.* vocat, aut Occidentalem partem protensus. *De superiore* planissimè negabo, si gentem intelligat, non ad misera qvædam Individua labatur, quæ in omni gente tardiora aliqvot. *Gentem ipsam* ingeniosam habeam, ad omnia habilem, & qvæ Italo palmam contentionis offerre qveat, ut Italis ipsis in admirationem qvandoq; venerit, ut ê *Bembi, Sadoleti, Ma-*

nutii aliorumq; scriptis miser Apologistes addiscat. *Jovius in append. Elogiorum Germanos* præter belli decus & pacis ornamenta, literas & artes, decoqventi Græciæ ac Italiæ dormitanti, qvod pudeat, abstulisse fatetur. *Germanis* plerisq; ingenii celeritas & facilitas qvædam insita ad doctrinam nunqvam defuit: Italis peculiaris laus judicii, ut & populis ad meridiem aut ortum, ait *Lipsius l. 5. Ep. qu. ep. 12.* Nec testes hic advocare plures opus, cum ad testimonium potius fidem, qvàm testium multitudinem respici oporteat, ut *ICtus l. ob carmen, 21. ff. d. testibus* postulat. A qvâ ipsi Hunni, si qvid solidi in literis habent, hauserunt, nec discere erubescunt, cum Professores inde adsciscant, Academias gentis invisant? Sed ubi ab Hungaris simile qvid Germanus? Pudeat perversorem ruditatis, & malitiæ, omnia susq; deq; habentis, *Inferior, qvi Belga,* qvantum ingenio in Mathematicis, Mechanicis, Nauticis, bellicis, prævaleat, Orbis terrarum etiam renitente *Hunno*, loqvetur, qvi ab eo haurit. Et Hunnus ipse in ejus Academias, *Leijdam, Franekeram, Groningam*, discendi gratiâ ubertìm excurrens, testari cogitur, Cum *nullus Belga ad Hunnum* isthoc fine itare sustineat? *Si, qvi ad Balthum aut inferius mare*, de eo nec ingenium magnoperè memorem, si gentem non hanc aut illum ê gente spectes, qvi rarior intercurrit: Et *mediam hic Naturam* designem, nec omnia percensere

cenſere necesſum habeã, Cum nihil de eo conlocatũ. Magnã partem à *ſuperiore Germano* ipſe haurit, nec de ingenio, ſpondeo, cũ eo contendet, ſed concedet, qvidqvid helleboro dignũ caput repoſitet.

7. *Convitia* tamen in gentes jeci, qvibus integræ nationes deturpantur? At, me Chriſte, ignorat Damaſippus, qvid convitium ſit. Ex Ethicâ noſtra Decade, qvæ ordine tertia eſt, id diſcere habeat. Gentium mores, ingenia, ſtudia, diverſitates, deſignare, nulli in probrum aut convitium unqvam ceſſit. *Suetum id tàm ſacris, qvàm profanis ſcriptoribus.* Ex ſacris ter maximus ille *Paulus ex Epimenide Cretenſes ſemper mendaces*, malas beſtias, & pigros ventres vocat, atq; id teſtimonium verum eſſe addit. *Tit. 1. v. 12. Idem* Galatas ſuos inſenſatos & ſine mente dixit. *Gal. 3. v. 1.* In qvem locum *Hieronymus*, Paulus Ap. nonnunqvam eos, ad qvos ſcribit, proprietate ſuæ provinciæ pulſat, *ait*, Additq;, qvæq; provincia ſuas habet proprietates. *Cretenſes* mendaces notat Epimenides, vanos *Mauros*, feroces Dalmatas Latinus pulſat Hiſtoricus, timidos Phryges omnes Poetæ lacerant. *Græcis*, inqvit *Tullius pro Flacco*, *ingenita ineſt levitas*, & erudita vanitas. Sic Apoſtolus Galatas pulſavit, qvòd vitio gentis indociles ſint, vecordes, & ad ſapientiam tardiores, nam Galatæ ex Galliâ originen traxerunt, & ſuæ originis tarditatem recipiunt. Inter Iſraelitas bonus ille *Natha-*

nael, Qvid â Nazaretho boni venire poteſt, dicens, non â Chriſto Convitiator audiit, ſed verus Iſraelita, in qvo dolus non esſet? *Joh. 1. v. 46. 47.* Qvid blashemum os tantos viros inter convitiatores deponat?

8. Ex *profanis* miraculum illud Palladis tàm literatæ, qvàm ſagatæ, *Jul. Cæſar Scaliger* liberè in mores gentium invehitur *3. Poet. c. 16. Sueci, Norwegi, Gruntlandii,* Gothi, beluæ, ait. *Scoti* non minùs. *Angli* perfidi, inflati, feri, amentes, immanes. *Hispanis* victus aſper domi, alienis menſis largi, alacres, bibaces, loqvaces, jactabundi, faſtus tartareus. *De Liguribus idem Ex. 274.* Vide miſeros remiges, qvovis Siſipho miſeriores, ſub ferreo portisculo *Cerbereorum Ligurum. Idem Tuiscis* nihil ſimplicius, *Eluetiis* nihil inconſideratius, *Sabaudianis* nihil ſtolidius, inertius, ſtupidius ait. In orâ *Ligurum* cum ferè nullum animal naſcatur, naturam cogitare ait, qvibus artibus eorum ſcelera, perfidiam, auaritiam, livorem, vanitatem, impietatem, in aliqvo animali repræſentare posſit, *Ex. 203. Auſonius Burdigalenſis,* Vir Conſularis, *Nemo bonus Brito eſt, epigr. 107,* profesſus eſt. Additq́; *Aut Brito hic non eſt Silujus, aut malus eſt. Germanos* aſperioris naturæ, nec eam civilitatem, qvam Galli, obtinere *Comineus l. 8.* ſcribit. *Cappadoces, Cilices, Cretenſes,* mendaces, *Galatæ* minaces, *Sybaritæ* luxu perditi, *Leontini* poculis addicti, *Thes-*

ſali

ſali venefici, *Thraces* callidi ac fraudulenti, *Mileſij* molles & delicati, *Græci* aſſentatores, infideles, leves, *Afri* ſubdoli, Numidæ leviſſimæ fidei, *Chij* petulantiſſimi, *Cypri* auari, *Alexandrini* deriſores & dicaces, *Indi & Perſæ* otioſi, *Emporitani* imbelles & barbari, *Locrenſes* fœdifragi, *Druidæ* malefici, *Corci* diri & immanes, *Cumani* inſulſi, *Siculi* vafri, *Scythæ* rapidi & feroces, *Aſiani*, *Jones*, *Medi*, *Arabes*, effœminati, *Syracuſani* multiplices, Ligures duri & agreſtes, Hiſpani jactabundi & glorioſi, Verba *Bartholini in Aſtrolog. n.* 435. ſunt, teſtesq; citat, *Platonem*, *Hippocratem*, *Galenum*, *Ariſtotelem*, *Apuleium*, *Vegetium*, *Apollonium*, *Agrippam*. *De Numidarum* ingenio & levitate qvid & qvoties ſcripſerit *Saluſtius*, in *bello Iugurthino C.* 12. *& aliis* videri poteſt. *De Thracibus Ariſtoteles*, Vna gens Thracum ad 4 numerandi ſeriem terminat, *ait*, qvòd ampliùs meminiſſe modo puerorum non poteſt, neq; uſum habere rerum multarum, *ſ. 15. probl. q. 3. Idem ſ. 14. q. 15.* homines locis frigidis habitantes, nec ingenio valere, qvo proſpiciant, rerumq; rationes inqvirant, & ebrioſis admodùm ſimiles videri, calidis ſobrios, inquirentes, & magis invenire valentes ait. Qvod *idem & Galenus l. d. temp. aſſerit*, ſub ſeptentrione degentes totos intellectu deſtitutos, intra eum, & ſub zonâ torrida prudentiſſimos eſſe. Similiter *Hippocrates l. d. aer. aqu. & locis*, *Europæis* â naturâ innaſci ait

 eſſe

esse ferum, insociabile, animosum, *Asianis* prudentem, &c.

9. De *Aegyptiis Curtius l. 4. c. 1.* Aegyptij vana gens, & novandis, qvàm gerendis rebus aptior, ait. *Iisdem* mentiri impune est: eoq; ad mentiendum admodùm proclives sunt, scribit de illis *Alexand. ab Alexandro, l. 6. c. 10.* Neqvitias tellus scit dare nulla magis, de Aegypto *Plinius in Panegyr. Trajani* ait. *Iuvenali* demens vocatur. *Sat. 15. Qvis nescit, Volusi Bythinice, qvalia demens Aegyptus portenta colat, Crocodilon adorat Pars hæc, Illa* pavet saturam serpentibus Ibin. De *Allobroge*, qvi hodie Sabaudus, *Horatius*, novisq; rebus infidelis Allobrox, *Epod. 16. De Gallis Cæsar*, in consiliis capiendis subiti, sed vani, *L. 3. d. bell. Gall. c. 2. L. 8. c. 10.* Ad bella suscipienda promptus eorum animus, sed mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas. *Idem L. 3. c. 19.* In consiliis capiendis mobiles sunt, & novis plerumq; rebus student, qvibus nil sit committendum. *Idem L. 4. c. 5.* De iisdem *Polybius*, Galli gens levis & infida, *l. 3. Hilarius Gallus* ipse, & Pictavis genitus, in hymnorum Carmine Gallos indociles vocat, ait Hieronymus *præf. l. 2. Comm. ad Galat.* In eo omnes, *præter Hieronymum* conveniunt, Gallos esse leves. Idq; â *Cæsare* scriptum, â *Tacito & Trebellio* confirmatum, ab Italis & Germanis sæpè repetitum, maxime tamen â *Sleidano* in concione Caroli Imp. *Alii* tamen alias qvoq; gentes leves appellant. *Syri, inqvit Livius, Asiatici, Græci,* levissima omnium genera. Sed præceps & nimia celeritas in agendo consiliis inimica fecit, ut Galli leves appellarentur. Sed cum levitas nihil aliud sit, *qvàm in dictis & factis inconstantia qvædam,* profectò *temeritas* debuit, non levitas appellari. Aut si leves qvoq; judicamur, *Scythæ* nos in eo genere facilè superabunt. Si *Pæni* pertinaces, ut *Plutarchus* scribit, qvid Scythæ? Docuimus, utrosq; crudeles ac perfidos esse, cum in vitia labuntur. Sed contra-

contrarias attulimus causas. Qvòd si vitia sunt extremorum conseqvens, ut si pertinax *Australis*, *Scytha levis sit*, intermedius constans. Certè Barbari, & qvi minus habent rationis, ad belluarum similitudinem propiùs accedunt, qvæ ut facilè irritantur, ita facilè placantur; & paulo momento huc illuc sine ratione feruntur. *Itali* Gallos & Germanos veluti barbaros, ut *Cardanus* scribit, facilimè in fraudem impellunt. Rursùs *Itali Græcorum*, *Græci Cretensium*, *hi Aegyptiorum & Pœnorum* calliditatem insectantur: Ita qvoq; Hebræi & Aegyptii Græcos, Itali Gallos, Galli Germanos leves esse qveruntur, ait *Bodinus meth. hist. c. 5. Idem c. l.* Hinc illa, qvæ in Germanos & Francos jactatur à *Procopio* cupiditas habendi, qvæ tanta est, ut vitam auro, bellum pecuniâ commutent. *Australes* non tàm avari, qvàm parci ac tenaces, *Scythæ* prodigi ac rapaces, & qvoniam ab ingenio se deseri sentiunt, supra modū suspiciosi evadunt. *Idem Procopius de Germanis*, *Ea gens ad fidem prodendam omnium aptissima.* Et *Vopiscus*, Francis familiare est, fidem ridendo frangere. Hinc *Alciatus* caudam Scorpionis in Germanos jactari scribit. Qvanqvam in eo genere *Germani à Danis & Norvegis*, qvib. maximè dissident, longè superantur. Nusqvam profectò, perfidia aut crudelitas populi erga principes, aut principū inter se major exarsit, qvàm inter *Christiernum & Gustavum*, *Danos & Suecos*. Ab iis etiam Normanni, qvos vulgus fidem minùs colere suspicatur, originem traxerunt. De Græcis qvid Tullius scribat, t. 7. visum.

10. Qvantum memini, *Ducis cujusdam Megapolitani* de Rostochiensibus suis est; *Rusticus & Rostoc* parvo discrimine distant: Rostochiensis enim Rusticus esse solet. Qvasdam nationes a Cœlo ita formatas *Author aliqvis* rescripsit, ut propria morum vanitate conspicuæ sint. *Galli* stolidi, Iactabundi *Hispani*, voluptarii *Asiatici*, acuti *Siculi*, nec alias hic rationes qværendas. *Lex promulgata est à DEO*, *legis interpretatio non.* Sic varietas nationum à naturâ proposita, rationes non.

Munsterus in Cosmographiâ vitia nationum recenset. Invidia *Judæorum*, ait, perfidia *Persarum*, astutia *Aegyptiorum*, fallaciæ *Græcorum*, sævitia *Saracenorum*, levitas *Chaldæorum*, varietas *Afrorum*, gula Gallorum, jactantia Longobardorum, crudelitas *Hunnorum*, immunditia Suecorum, ferocitas Francorum, stultitia Saxonum, duritia Pictavorum, rapacitas Normandorum, & similiter, ut *Lib. 2. c. 59.* videre est. *Scytharum* furor ac stupor decantatus est. *Anacharsis* tamen Scytha admirandæ sapientiæ, ut *Cicero 5. Tuscul.* vocat, ac egregii ingenii fuit. Cum patria & gentis stupor ab Attico qvodam opprobraretur, mihi patria probro est, sed tu patriæ, respondit. *Manutius l. 7. Apoph.* 38. De illis *Curtius, Scythis, non ut cæteris Barbaris*, rudis & inconditus sensus est. Qvidam eorum sapientiam capere dicuntur, qvantamcunq; gens capit semper armata, *L. 7. c. 8.* ait. De *VVestphaliâ ac VVestphalis Lipsius in Epistolis qvibusdam*, Barbariam nullam præ Westphaliâ barbariam, Scytharum eam Eremiam esse, homines semihomines, Porcios, scrofas, suillios, uno verbo priscos illos Hermannos, aliaq; licentiùs professus est. *Domannus* oppugnavit: Sed *Horatii* istud successit: *Solventur risu tabulæ, tu missus abibis*, ut *Lipsii Apologetica ad Monauium Epistola* docuit, ubi animo & mente ne lusisse qvidem in ipsos, sed in ea, qvæ ad ipsos, ait, & de cultu ac genere vitæ externo, qvod valdè elegans apud ipsos esse, nec ipsi qvidem dicant. *Aeschacius Major in scrut. Ingenior. C. 4.* qvosdam â Naturâ subtiles generosos, mites, alios stupidos, timidos, crudeles nasci tradit. Qvantâ libertate gentium mores & vitia *Barclajus* notet, *parte 4. satyrici in Icone animorum* legi potest. Qvàm animosè contenteq; idem de gentibus totius Europæ *Lansius* præstiterit, qvot Authores idem apertè occupantes allegaverit, *è Consultationibus* ejus hauriri potest. Qvid *Satyrici* hac in parte præstent, ex omnium lectione nosci potest. Ac millena sint, qvæ hanc in rem adducantur, nisi in re bonâ etiam tria sufficiant. Tales tantosq; Scriptores convitii nomine infamare, barbarum factu ac immane fuerit, nihilq; inter Barbaros tàm fastuoso censore postremius existat.

Ad ultimum Coronis nostræ hujus Commentationis illud Bodini e c. 1. t. 9. sit. Hoc cum bona venia Germanorum dictum velimus, ne cujusqvam gentis nomen Oratio nostra læsura videatur. Neqve enim de reipsâ, sed insita cuiqve naturâ scribimus.

D. O. M. A.

De

COGNITIONE

Humanâ universâ,

Hoc est,

De omni scibili humano universim sumpto,

Exercitatio Singularis.

DISPUTATIONIS LOCO

Ad sentẽtiarum Collationem in Gymnasio Dantiscano Proposita,

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philos. Professore Publico.

Respondentis partes expediente

IOHANNE KNEBELIO,

Novisoliense Pannonio.

Ad diem Febr. S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI.

Typis Viduæ Georgii Rhetii, Gymn. Typog.

Anno 1648.

D. O. M. A.

De Cognitione humanâ universâ, EXERCITATIO SINGULARIS.

I.

Qvod â Salustio *satis concinnè dictum est*, omnem nostram vim in animo ac corpore sitam esse, sed animi imperio, Corporis magis servitio nos uti, atq; alterum cum Diis, alterum cum belluis nobis commune esse; *id & vita verè pro homine gesta convincit, & experientia qvotidianis argumentis confirmat. Bruta in Corporeis sæpè prævalent, ut simiæ gustus, aranei tactus, Vulturis odoratus, atq; aqvilæ visus edoceant*, Et alibi *dictum est. Sed* animi imperium *in solo homine est, &, si scientiâ prudentiaq; instructus ille, & verè pro homine universa elaborabit, & hominis fini satisfaciet*. Bruta vel *ad stuporem dejecta*, vel *ventri obedientia*, vel *nullo liberali opere occupata concinnavit rerum Opifex Deus*. Sed homini *rationem atq; intellectum indidit, Vt & res observaret, & nexus causarum latentium atq; abstruso ordine sibi compositarum ratione, discursu, observatione, erueret.* *Eò cum* Cognitio humana, *qvæ adæqvatè talis, vel maximè provehat*, qvid, qvale, & qvotuplex Cognoscibile *sit, Circa qvod Cognitio ipsa occupatur, in specie considerandum veniet. Specialia enim â generalibus pendent, & his non præmissis illa satis liqvere non possunt.*

II. Cognitio humana Universa v l sensitiva esse po-

test, *quæ sensuum internorum & externorum, quales memoria, phantasia, Visus, gustus, odoratus, beneficio perficitur, ac cum brutis Nobis communis est, Imò in illis non rarò humanâ superior, Cum & acutius homine prospiciat aqvila, & odore vulturium genus superet, & tactu araneus excellat, ut* alibi *dictum* ; *Hæc qvia* non adæqvatè humana, sed generalior eâ, *nam & in bestias sparsa est, propriè hujus loci non est, sed ad* Physiologiam *in doctrinâ de animali remittenda*: Vel intellectiua & ratiocinativa, *quæ rationis & ratiocinationis vi ut intercurrente medio expedita. Hæc hujus loci propria, ex objecto suo perpendenda, pro varietate suâ, modis, & speciebus, consideranda, in affectionibus ac attributis suis spectanda, & ad distinctam aliqvam considerationem distinctè repræsentanda est*. Hanc triplicem *in universum facere qvidam volunt*. 1. Rem *esse possibilem*. 2. Confusè *cognoscere, cum principia sciuntur, Conclusiones inde deductæ ignorantur*. 3. Distinctè *cognoscere, qvod, & Cur ita sit, vel esse possit*. *Vt* Cameron T. 3. p. 285. seq. *Verùm hæc gradus aliqvos cognitionis in cognoscendo sibi succedentes explicant: Ipsas cognoscendi species distinctè non repræsentant*.

Alii in 7. *partes & libros eam dividunt, Vt primus Præparatoria, 2. Idealia, 3. Naturalia, 4. Artificialia, 5. Spiritualia, 6. Æterna, & 7. Praxin omnium suppeditet. Vt* J. A. Com. del Templi t. 29. *Hic etiam gradus & scalæ potius Cognitionis humanæ, qvib. ab imis ad summa ascenditur, & mens humana in cognoscendo promovetur, assignantur, qvàm ipsæ distinctæ species Cognitionis vel Cognoscibilis humani universi, in qvibus à summo & supernaturali, Theologico s. spirituali, inchoatur, in imo & artificiali, Vt illiberali ac Mechanico scibili definitur*, Vt t. 21. seq. *patebit, Et* Idem *satis insinuat* diatyp. t. 9, 21. & alibi, *distinctè repræsentantur*.

Rectiùs Cognitio humana universa vel in generali *spectari*

ctari dicitur, Cum Cognitionis objectum, Cognoscibile, ut sic, universim repræsentatur, qvid illud, qvale, qvantum, Et Cognitio ipsa proinde in generali constituitur: Vel in speciali, *cum species & modi ejus omnes in genere assignantur, Vt aliud liberale, aliud illiberale, aliud naturale, aliud supernaturale, aliud principale aliud instrumentale, &c. dicatur.* Utrumq; in habitu aliqvo *vel ei analogo fieri solet ac potest, qvem qvidam* Gnostologiam, *ut* Frommius, *Qvidam* Technologiam, *ut* Timplerus, *Qvidã* Hexilogiam, ut Alstedius, Alii *artium doctrinam aut compagẽ*, alii *Pansophiam*, alii *aliter nominant.*

III. Cognitionis humanæ fundamentum qvia Cognoscibile *est, Cognito hoc ejusq́; speciebus ipsius* Cognitionis natura conseqventer patebit. Cognoscibile in genere omne à facultate cognoscente perceptibile definiri potest. *Sic visus colorem, olfactus odorem cognoscit. Et qvicqvid ullo modo cognoscitur, Objecti rationem habet.* Objectum istud vel sensibile est, *ut Odor, Calor, magnitudo, figura,* vel Intelligibile, *ut Ens, Spiritus, Deus, Christus, Prædestinatio, Corpus naturale, &c. Hoc qvia hic propriè attenditur, t. 2. definiri illud potest* perceptibile intellectui humano ad cognoscendum qvocunq; modo objectum. *Hoc objectum intelligibile ut aliqvo modo distinctè cognoscatur, cum alibi ex professo tradendum sit, & hic valdè accommodatè tractari posset, si non prolixitatis gratiâ aliò remittendum esset,* seqventia *de eo breviter sunt advertenda.* 1. Intellectus humanus est determinatus subjectivè, *sed indeterminatus objectivè, ut qvidvis cognoscere possit, Et ab objecto determinatur, qvo è potentiâ in actum deducitur. Vt cum Deum, Corpus, numerum, considerat.* Et intellectio *fit per speciem, ideam, ac intentionem, non rem & materialitatem. Sic speciem montis, elephanti, in mente formo, non montem materialem recipio.* 2. Distincta distinctè sunt cognoscenda, *apprehendenda, repræsentanda, non confusè. Deus*

enim, Ars, & mens humana rectè se habens ab omni confusione abhorret. Objectum ergò & Conclusiones inde deductæ distingvendæ. 3. Objectum *constituitur ab intellectu in esse objecti mediante abstractione.* V. t.15. 4 In constituendo objecto *mens non distrahi, sed ad unum certumq́ determinari & compingi debet. Homonyma ergò, aggregata, Accidentalia, Complexa & Concreta ad objecta inepta sunt.* 5. Objecti notionem *è rebus Intellectus eruit, ut in illis, qvæ in genere aut extra genus sunt, normam ac mensuram habeat. Principia ergò cognoscendi, attributa, & species esse oportet, qvibus objectum repræsentetur, & ex eo ut mensurâ deducantur.* 6 Objectum adæqvatum *totius alicujus disciplinæ fundamentũ est, ad qvod omnia in eâ reducantur, de qvo omnia tractẽtur, nihil eò spectãs omittatur.* Et perfecta disciplina est, ubi perfecta objecti ejus repræsẽtatio est.

4. 7. Qvodcunq; reverà scibile est, *& in nullâ scientiâ principium, affectio, aut species objecti, aut præcognitum disciplinæ naturam ejus tantùm explanans est*, V. t. 7. *peculiare objectũ disciplinæ facit.* 8. Objectum *& ratione materialis ac communis, & formalis ac proprii, Et ratione rei consideratæ, & modi considerandi spectari potest.* V. t. 13. 9. Disciplina *mensuranda nõ ex formali rei, ut res absolutè est, sed rei, ut objectum est. Qvod ad hujus formale non pertinet, ad disciplinam non spectat, sed in eâ alienum est. Sic in Metaphysicâ objecti formale, Ens ut ens, ad unum determinat, cum alias sub ente omnia subsumi posint, & Metaphysica omnium scientiarum confusio fieret.* 10. Formale objecti *qvà scibile est, non est diversum à formali, qva res est, qva utrumq́ in statu objecti spectatur, sic enim ad utrumqvè istud facit, etsi illud determinatius hoc sit, & formale scibilis formale rei pro objecto constituti signum sit.* 11. Objectum, *qvod sub nullo genere est, nec affectiones realiter à se distinctas vel accidentia prædicamentalia, nec species proprie*

dictas

dictas habet, sed attributa & modos contractiores, in quos dividatur. Vt Ens, Spiritus, ut sic, quà Deum & creatum spiritum comprehendit. 12. Intellectus intelligendo fit omnia quà speciem & intentionem, quam recipit, non rem & materialitatem. V. t. 3. Non ens ergò ut tale, intelligibile non est, nec intellectus illud fieri, aut ideam ejus formare potest. 13. Quicquid quocunq; modo ab intellectu intelligi aptum est, noema est, siue singulare illud sit, ut Deus, sive Universale, Vt animal. Singulare ê statu phantasmatis in noema, & noema in statum objecti deducitur. 14. Objectum totale disciplinare in varias species inferiores dispescitur, & sic variis disciplinis assignatur, Theologiæ, Philosophiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Mechanicæ. V. t. 21. seq:

5. Vt in genere & universalissimo conceptu spectatur, pro eo, quicquid sciri & cognosci potest, Gnostologiæ pro objecto subjicitur; ejusq; habitus ac disciplina inde Gnostologia dici queat, & à nonnullis hodiè sic vocatur. Vt Frommio in Gnostologia, & qui illum sequuntur.

Ea definiri potest habitus animi principalis, Cognoscibile ut sic in generali suo esse & speciebus proximè ex generali isto esse fluētibꝰ adæquatè, distinctè, & accuratè cōtēplationis ut proximi finis gratiâ intellectui humano repræsentās Habitꝰ animi principalis quid sit, ex Cor. Log. haberi potest. t. 9. seq: Et animi habitꝰ Gnostolog. dicitur, quia in eo ut subjecto inhæsionis est, cui propriè inhæret, etsi in intellectu ut subjecto informationis ac perfectionis sit, quod ut proximum subjectum informat & perficit, intellectum enim in cognoscendo proximè perficit, non voluntatem aut appetitum sensitivum, Vt virtus moralis, vel memoriam, ut ars aliqua Mnemonica. Quanquam multi memoriam eandem cum Intellectu facultatem esse rectè statuant, Vt Thomas p. 1. q. 79. a. 6. seq. Conimbricens.

in l. d.

in l. d. memor. C. 3. J. Martini C. 8. d. 2. q. 4. Alstedius p. 6. Phys. C. 7. t. 4. Mendoza d. 5. d. anim. s. 8. aliiq; *Quomodo quod intellectum informat, pari ratione & memoriā informabit.*

6. Dari autem habitus intellectuales *cum negare Nonnullos* c. l. t. 10. *adductum, & ratione, & experientiâ patere potest.* Sive *jam â speciebus intellectualibus distincti illi sint, sive minùs, de quo variant* Philosophi, V. Mendozam c. l. d. 16. s. 2. Arriagam d. 9. d ani. s. 2. aliosq; Ratione, 1. Qvia promptitudo, *facilitas, accuratio, ac perfectio aliqua intellectus circa objectum intelligibile dari potest, quà promptior, accuratior & perfectior in intelligendo intellectus fiat, Veluti in apprehendendo, combinando, arguendo seu inferendo, ordinando seu disponendo, quæ operationes intellectus sunt, ut ex Logicis notum est. At hæc promptitudo nil aliud, quàm habitus est, hic enim essentialiter principium facilem & promptam operationem suppeditans est, & definitur, ut ex iisdem* Logicis *patet, & in M*etaphysicis *plurib. disceptatur.* Nam *species intelligibiles objectum tantùm repræsentant, illud intellectui uniunt, & unio est ipsa objecti apprehensio.* Sed habitus promptitudinem ac facilitatem *judicandi de veritate aut falsitate objectorum intellectui conciliat, & difficultatem, incertitudinem, ac hæsitationem judicandi tollit. Quando enim species receptæ & termini cogniti sunt, adhuc de connexione terminorum & veritate aut falsitate objectorum dubitare & vacillare intellectus potest. Hic ergò habitus promptitudinem & facilitatem judicandi supra species intelligibiles conciliat, quà intelligendi facultas promptior, accuratior, & perfectior redditur. Et quod naturæ deest, habitus supplere debet. At promptitudo illa & accuratio deest. Eam ergò habitus supplebit, & sic verè in promptitudine istâ consistit.* 2. Qvia Logica, Physica, Metaphysica, Mathematica, *Rhetorica,*

habi-

habitus sunt, ut vulgò conceditur, sive artes, sive scientiæ, sive aliud quid sint, de qvo Authores variant, & perinde jam est. At non voluntatis in homine habitus sunt. E: intellectus. Aliud *enim in mente hominis non est pro primariâ facultate, quàm intellectus & voluntas. E. in intellectu habitus esse oportet.* Experientiâ, qvia experimur talem promptitudinē in intellectu literatorum *literas continuè tractantium dari, ut facili negatio medium aliquod ad probandum aut oppugnandum aliquid de aliqvo inveniant, verè accurateq́ rem apprehendant, connexiones veras aut falsas promptè dijudicent, accuratè distinguenda secernant, apposita ab incompetentibus distingvant, ut exempla* Logicorum, Philosophorum, Theologorum, *docent, Et vulgus id ita non potest, sed in plurimis aberrat, vacillat, confundit, implicat, hæsitat, &c. Sic* notitia lingvarum in Apostolis *vera perfectio ac promptitudo fuit,* Act. 2. *Et non voluntatis aut appetitus. E. intellectus. Et conseqventer in intellectu habitus dari necessum est. Pluribus hæc res in doctrinâ de animâ disceptatur.*

7. Dicitur porrò, habitus Cognoscibile ut sic in generali suo esse repræsentans. *Dari hic posse pro Cognoscibili ut sic distinctum aliqvem habitum illud repræsentantem* & ex natura peculiaris objecti, *qvod in nullâ disciplinâ repræsentatur, & peculiari considerandi modo circa illud objectum, & peculiari fine ab objecti istius distinctâ repræsentatione exspectando patere potest. Hæc enim tria disciplinam peculiarem facere solent. Ubicunq́ enim peculiare objectum datur, qvod in nullâ aliâ disciplinâ pro objecto explicatur, nec sub aliqvâ ejus specie continetur aut comprehenditur, & in se distinctè scibile est, species seu modos contractiores subjectos, & distincta attributa habet, qvibus natura ejus à posteriori ultrà determinetur ac cognoscatur, nec in sese natura* tantùm disciplinæ est, *eoq́ ad præcognita pertinet, ut Philosophiæ*

losophia, Theologia, Medicina, *quæ* non objecta disciplinarum, sed disciplinæ ipsæ sunt, *eoq; peculiari habitui pro objectis substerni non possunt, sed in præcognitis disciplinarum suarum tractari debent; ibi peculiarem disciplinam pro tali objecto esse oportet.* Patet inductione omnium disciplinarum, Theologiæ, Philosophiæ, & singularum partium *in ea*, ut Intelligentiæ, Metaphysicæ, *Pneumaticæ, Physicæ, Ethicæ, &c.* Iurispr. & Medicinæ, *ut & instrumentalium habituum, quæ omnia Objecta sua habent, cum basis omnis cognitionis sit objectum, ut* Coron. Log. & Tabulis Pansophiæ liberalis *deductum. Sed* hic circa Cognoscibile *ita se res habet. Hoc enim partim distinctum ab omnibus aliis objectis objectum est, ut ab objecto super naturali, quod in Theologiâ, Objecto naturali primario, quod in Philosophiâ, Et secundario, quod in* Jurisprudentiâ & *Medicinâ repræsentatur,* t. 21. seq: Et cognoscibile *in genere, non Theologicum aut* Philos. vel Jurid. & Medicum *in specie dicit, sed ab his omnibus abstrahit, universisq; competere potest: Et consequēter distinctè in generali suo conceptu repræsentari, atq; ita cognosci potest, & sic habitum aliquem vel analogum aliquid, habituum omnium præcursorem & anteambulonem, si ita vocare libeat, in quo distinctè repræsentetur, requirit, cum in reliquis disciplinis non tractetur*: Partim *omnia, quæ ad peculiare objectum requiruntur, in se habet.*

8. *Nempè 1.* Distincte *cognoscibile est, quod hic reverâ est,* t. 4. 5. *2.* Entis *alicujus realis vel notionalis rationem habet. Quod hic etiam est,* t. 7. *Partim enim cognoscibile reale ens est, ut in principalib. habitibus, partim notionale, ut in instrumētalibus.* 3 A natura *ipsius disciplinæ distinctum sit, non ipsa disciplinæ natura, quæ præcognitum tantùm facit,* t. 4. *Verum objectum disciplinare non debet esse disciplina ipsa, qua præcognitionem saltem in habitu facit, ut Natura Theologiæ in Theologiâ,*

Philoso-

Philosophiæ in Philosophiâ, Jurisprud. *in Jurisprudentiâ, Medicinæ in Medicinâ, Logicæ in Logicâ, & sic conseqventer, sed ab eâ distinctum, & id, qvod in disciplinâ adæqvate repræsentari debet. Qvod hic etiam; γνωστὸν enim & Cognoscibile* ab Gnostologia *vel habitu cognoscibili verè distinctum est, ut Corpus naturale à Physicæ, & numerus ab Arithmeticæ habitu verè distincta sunt.* 4. Vera *& non tantùm ficta principia cognoscendi habeat,* t. 3. *Et hæc hic Entitas & Cognoscibilitas rei aliaq; sunt,* t. 13. 5. Distinctum *& non æqvivocum conceptum in mente gignat, qvò mens non in vaga & incerta distrahatur, sed ad unum certumq; determinetur, sive id analogum, sive univocum sit. Id hic* Cognoscibile ipsum est. *Aeqvivoca ante distinctionem nihil certi significant, ut Cancer, Canis, Gallus, eoq; ad repræsentationem Objecti facere non possunt, ut ex Logicis patet.* 6. Vera attributa habeat, *qvibus à posteriori natura ejus determinetur, & ulterius Cognosci possit. Talia hic similiter sunt, ut* t. 18. *patebit.* 7. Veros modos *inferiores habeat, qvibus limitetur, in qvos contrahatur, & natura ejus dividatur, & qvi in nullâ aliâ disciplinâ sint principium, affectio, species, vel modus contractior Objecti disciplinaris istius. Sic in Physicis Corpus naturale in simplex & mistum, In Metaph. Ens in Substantiam & Accidens, In Pneumat: Spiritus in Completum & incompletum dividitur. Sic Cognoscibile in liberale & Illiberale, supernaturale & naturale, principale & Instrumentale dividitur. Et hi modi in nullâ aliâ disciplinâ, vel Objecti principia, vel affectiones vel species sunt, sed solius Cognoscibilis ut sic, ut patet. Nec enim in ullâ alia disciplina talis divisio occurrit, ut inductio ostendit, V. t. Et in doctrinâ de naturâ Objecti in genere pluribus docetur.* Conf. t. 3. 4. *Natura aliqva disciplinæ Species aliqva infima est, qvæ alias species sub se non habet, in qvas*

dividatur, sed partes tantùm integrales, ut Philos. in Theore & & *Pract.* V. Cor. Log. th. 20. *Theologia in partem de credendis & agendis. Logica in Generalem & Specialem partem.* D. 1. Log. t. 21. *Ethica in partem de Fine & mediis ad finem, Dec.* 3. *Misc. d. 1. t.* 26. *Medicina in partem Generalem & Specialem. Sed Objectum disciplinare in veras Species s. modos inferiores,* in qvibus illud, ut in inferioribus suis, tanqvam generalis natura multiplicetur, dividi debet. Ut Ens *in substantiam & accidens:* Spiritus *in Creatum ac increatum,* Corpus *in Simplex & Mistum,* qvantitas *in continuam & discretam,* actus moralis *in Ethicum, Politicum, & Oeconomicum, &c. Sic Cognoscibile in vera inferiora sua ut Species, liberale & illiberale, supernaturale & naturale, principale & instrumentale, dividitur.* t. 21. *In qvibus natura generalis Cognoscibilis ut sic, multiplicatur. Sed hæc omnia Cognoscibile reverâ participat, ut visum. Ergò reverâ distinctum alicujus disciplinæ Objectum esse potest, & conseqventer distinctus habitus, vel analogon aliqvid, de eo repræsentari potest.*

9. Deinde, *peculiaris hic considerandi modus circa illud Objectum est, & sic formale in Objecto, per qvod ad unam disciplinam illud redigitur. t. 4. Cognoscibile ut sic & in universum sumptum, ac generalissimis Speciebus, Cognoscibili ut sic, nulli alii peculiari Objecto competentibus, determinatum. Sic Ens qvà Ens disciplinam facit, Metaph.* t. 24. *Cur non scibile ut sic simile qvid faciat, & sic* Gnostologia esse possit? Sic scibile particulare *distinctam disciplinam facit, ut Spiritus, Corpus. E. & universale in communi & formaliter consideratum.*

Nam universale tandem præreqvirit, qvi particulare dicit. Deniq; finis etiam peculiaris hic datur, à *nullâ aliâ disciplinâ expectandus, promendus, aut postulandus, & distinctè in se*

tamen

tamen appetibilis, & qvo mens humana peculiariter perfici potuit, generalis Cognoscibilis ut sic Contemplatio, & eâ ac per eam Intellectus humani perfectio, qvæ â nullâ aliâ disciplinâ deprometur, & consequenter Dei ex eà deducta glorificatio, t. 14. At ubi talis finis est, disciplinam peculiarem ille meretur. Consequenter & proscibili ut sic ea esse, & repræsentari, ac constitui poterit.

10. Ita ostensum, dari omninò peculiarem habitum pro Cognoscibili ut sic posse. Jam cœtera definitionis verba perlustranda. Dicitur 2. Habitus cognoscibile ut sic in generali esse & speciebus inde fluentibus repræsentans. *Ne ad Species ipsas in Speciali tractandas descendi hic debere intelligatur, sed in generalibus sistatur. Sic Scibile supernaturale specialiter deducere Theologiæ, Naturale Philosophiæ, Jurispr. Med. & similibus committitur, non hic agitur aut concupiscitur, sed generalia tantùm eorum, qvid & qvæ sint, attinguntur, cætera aliis relinqvuntur.* V. t. 21. seq. 3. Adæqvatè, *distinctè, & accuratè, ut ne qvid desit de Cognoscibili, nihil inordinati & confusi nihilq́ erronei aut inaccurati intercurrat, sic enim omnis habitus Objectum suum repræsentare debet,* t. 17. 4. Intellectui humano, *Ut partìm divinus excludatur, qvi ad Cognoscendum nec habitu, nec Objectis partitis, nec speciebus & ideis, sed tantùm seipso indiget, qvi sibi solus & totus, & omnia est.* V. Cor. Log. t. 12. *Nec apprehendendo aut partitè componendo ut nos, sed intuendo, comprehendendo, & exhauriendo procedit: Partìm Angelicus, qvi etsi Speciebus & habitibus egeat, ut in* Michael. t. 24. 31. *dictum: Nos tamen pro eo habitum nullum repræsentare solemus, etsi eum & acqvirere, & à Deo infusum accipere ille possit,* ut t. 31. c. l. *visum, sed pro solo humano intellectu. Angelica enim intellectio multò acrior, celerior, intimior, perfectior, & penetrantior est humanâ, nec tot cognoscendi impedimenta ex sensibus*

ſibus, cerebro, ejusq́; organis, Spiritibus, & ſimilibus habet, at humana, qvæ pro indiſpoſitione Spirituum & ingenii etiam ipſa valdè indiſpoſita, turbulenta, confuſa, flaccida, & vacillans eſſe ſolet, Ut t. 23. c. l. *dictum, & experientiâ patet. Vnde ſoli Intellectui humano ſubſidium hic paratur, perfici intenditur, & pro ſolo eo tota res acqviritur. Et cum* de Cognitione humanâ, *ut titulus habet, agatur furſtra alienas ab humanâ cognitiones adducimus, aut pertractabimus. Satis E. habitum noſtrum hominis ratione definivisſe fuerit, qvomodo & de Philoſophiâ id factum.* V. Coron t. 13. 5. Contemplationis *ut proximi finis gratiâ repræſentare dicitur. De hoc inter cauſas & principia Cognoſcibilis t. 14. patebit.*

11. *Ex definitione Gnoſtologiæ facilè* porismata *aliqva deducere licebit. Vt. 1.* Gnoſtologia *ab omnibus aliis diſciplinis naturalibus & ſupernatural: generalibus & Specialibus, principalibus & inſtrumentalibus, verè diſtincta eſt, qvia Objectum, Spectandi modum, & finem diſtinctisſima habet. Et accuratè etiam diſtinctéq́; à reliqvis proponēda eſt, non cum illis cōfuſè, aut in illis immiſtè, vel ad illas adjectè aut appoſitè.* 2. Gnoſt. *non ſolum præcognitum, ſed peculiarem habitum facere poteſt, qvia Objectum â naturâ diſciplinæ diſtinctum habet.* t 4. 8. *Non ſe habet ut natura Theologiæ, Philoſophiæ, Medicinæ, qvæ infimæ Species, & in individua tantùm ac partes dividuntur, ſed ut res in diſciplinâ explicanda alias ſpecies verè ſub ſe habens, in qvas dividatur,* t. 8. 3. Eadem *omnium diſciplinarum prima eſt ordine naturæ & accuratæ doctrinæ, qvæ â general. ad ſpecialia progredi debet,* d. 16. Log. t. 19. *Sed ultima culturâ, inuentione, & faciliore doctrinâ eſſe poteſt, poſt reliqvas enim inventa, exculta, & repræſentata eſt, & ſpecialia faciliùs cognoſci ſolent, qvàm generalisſima & abſtractisſima.* 4. Eadem præcognitis Philoſophicis *& aliis præmittenda eſt, quia illa*

ſcibile

scibile particulare proponunt, Philosophica Philosophicum, Theol. Theologicum, sed hæc scibile universum & generalissimè sumptum, quod cætera ut species sub se complectitur, t. 21. 5. Cognoscibile, & scibile, *& intelligibile, hic pro iisdem sumenda sunt, & Græco* γνωστὸν *respondere debent. Secus scibile pro theoretico sumitur, Vt Arithmetica, Physica, & à practico distingui. tur, Vt Prudentia,* V. d. 1. Eth t. 11. *Sed hic practicum comprehendit, quod etiam scibile, noscibile, Intelligibile est, & contemplabile ac agibile ut species sub se habet,* t. 23. 26. *Opinabile sub cognoscibili ut species sub genere continetur, vel hic planè alienũ est.* V. t. 17. 6. Gnostologia *& species proximas Cognoscibilis adducit & pertractat, sed generaliter, non specialiter & in particulari,* t. 10. *Et per hoc generalitati ejus nihil adimitur, cum species sui objecti pro suo considerandi modo omnis disciplina tradere debeat.* 7. Gnost. *animo inest ordinariè non à naturà, ut potentia, nec repentinè, ut passio aliqua, ut ira, pallor ex metu, affectus, sed modo acquisito. Extraordinariè à Deo infundi aut cõcreari potest.* 8. Gnost. est notitia discursiva, *non intuitiva, qualis Dei & quandoq; angelorum. Nam cum medio termino aliud ex alto educente fit.*

12. *Gnostologia explicatâ* Cognoscibilis ut objecti natura ampliùs *deducenda est.* Cognoscibile ergò distinctè generaliter & specialiter spectari potest. Generaliter nondum ad species ejus descendendo. Hoc vel in principiis, vel in attributis ejus. Principia Cognoscibilis sunt fundamenta, qvibus Cognitio ejus nititur, *Vnde eruitur, & per quæ ad distinctam ejus Cognitionem Intellectus humanus deducitur. Hæc principia tantùm* analogica *& qvaliacunq; hic sunt, non rigida ac univoca: Cognitionis nostræ, non præcisè rei inservientia.* Summum enim & transcendens Cognoscibile est,

le est, eoq; genus & alia principia se priora & realiter à se differentia non agnoscit. Ens enim & Cognoscibile ut res & res diversa non differunt, sed ut alius & alius rei respectus. Res dicitur, ut fundamentaliter in Naturâ est, scibile vel Cognoscibile, ut objectivè in intellectu est. Latissimum qvid est, & qvo latius cogitari non potest. Si enim cogitatur, jam cognoscitur & cognoscibile est.

13. Hæc principia interna & externa esse possunt. Interna Objecti materiale & formale sunt. Materiale, cui Cognoscibile innititur. Hoc entitas est. Nam qvicqvid cognoscibile est, ens esse oportet. Non entis enim ut nulla operatio & affectio, sic & nulla Cognitio est. Nihil enim sub formali non entis cognosci potest, nullam enim speciem Objecti cujusdam sub formali non entis movere potest. Intellectus enim intelligendo fit omnia per ideam, t. 4. At non ens fieri non potest. Et ut nullius disciplinæ objectum inter alia & non ens esse potest, Vt contra Rameos ens & non ens Logicæ objectum facientes, ut Ramum l. 2. Sch. Log. C. 7. alibi ostenditur: Sic nec Gnostologiæ. Et qvò magis qvid ens, eò magis naturâ sui cognoscibile est, ut Deus, Ens reale: Qvò minus ens, eò minus Cognoscibile, Vt privatio, Ens rationis. Formale, qvo formaliter tale efficitur. Hoc scibilitas est. Hæc fundamentaliter in rebus ipsis est, formaliter in & ab intellectu cognoscente est, sine hoc enim nulla scibilitas esse potest. Hic actu scitur & cognitum fit, qvod in re ipsâ potestate scitur, & cognoscendum se sistit. Scibilitatis fundamentum lumen Gratiæ & Naturæ, Creationis & specialis revelationis, Gratia ac Natura, & liber utriusq; est, Vnde omnis deducenda, & ad qvod revocanda est. Ex illo supernaturalia, ex hoc naturalia scienda sunt deducenda. Duo magni

hi li-

si libri à *Deo aperti & homini propositi sunt, omnia scibilia continentes, & ex qvibus omnium rerum scientias Intellectus humanus deducere debet, Creationis s. Naturæ, Et specialis revelationis seu Scripturæ liber.* Deus *utriusq; libri author est, & sic fundamentum sciendi ultimum constitutivum, qvi in libro gratiæ & potentiæ loqvitur, ac scienda revelat & repræsentat:* Libri ipsi *fundamentum radicativum & contentivum, in qvibus radicantur ac continentur omnia, qvæcunq; ab intellectu humano sciri possunt.* Extra, *citra, Vltraq;* Scripturam in merè supernaturalibus velle sapere est divina ex incompetentibus principiis scire & deducere velle, *Vnde nunqvam deduci possunt, Et ex sese ea invenire aut nosse velle, qvæ intellectui finito ex se novisse impossibile est.* Ambrosii *illud contra Symmachum hic cogitandum:* Cœli mysteria doceat me Deus ipse, qvi condidit, non homo, qvi seipsum ignoravit. Cui magis de Deo, qvàm Deo, credam, &c. *Et illud* Prophetæ: *Ad Legem & testimonium,* Esai. 8. v. 20. *Lucerna pedibus meis Verbũ tuum,* Psal. 119. v. 105. *Ac Apostoli, Non sapere ultra id, qvod scriptum est,* 1. Cor. 4. v. 6. Conf. Tract. d. Multipræs. t. 90. seq: Extra Naturam *in Naturalibus sapere, est cogitata ultra cœlum projicere, temerariis speculationibus indulgere, in qvib. nec modum tenere, nec finem invenire possimus, sed hiare, dubitare, & deficere tandem cogamur:* A Naturâ patefacta deserere, & immediatè ad Deum decurrere, *est librum â Deo apertum præ inscitiâ & Socordiâ claudere, & pro Theologo qvidem aut bono Viro, sed non Philosopho & perito viro respondere, Vt in simili de antiperistasios causis* Dec. 2. Misc. d. 8. t. 18. *dictum.* Vbicunq; *Natura se pandit ac revelat, claustra naturalis cognitionis non sunt obseranda aut stringenda, sed laxanda & aperienda:* Vbi *ea deficit, claudenda ea sunt, & sistendum intellectui*

humano.

humano, ac, Non plus ultrà cogitandum: Vbi *in recessus se abstrudit, diligenter sensu, observatione, ratiocinatione, eruenda*: Vbi *supernaturalis revelatio se aperit, naturalis se submittere & continere, non ultra debitum extendere debet. Ita prudenter utrumq; lumen disponitur, supponitur, ac subordinatur, non contraponitur, & intra legitimos terminos omnia continentur.*

14. Externa sunt, qvæ ab extra Cognoscibile in notitiam deducunt. Hæc vel primò cognitionem excitant & faciunt, vel excitatam porrò promovent & servant. Qvæ excitant, finis & efficiens sunt. Finis est causa, ob qvam Cognoscibile est. Estq; vel propinqvus, *ipsa rei cognitio, actus intellectus, qvo ex se indeterminatus determinatus objectivè redditur, & per determinationem istam velut per habitum potentiæ perfectibili superjectum naturaliter perficitur*: Vel remotus, *Dei ex cognitione orta glorificatio. Omnis enim cognitio ampla laudis divinæ materia est & occasio, Cùm eò perpetua humanorum esse debeat relatio*, V. 1. Cor. 10. v. 31. Colos. 3. v. 17. 1. Pet. 4. v. 11. *Et in sui gloriam omnia Deus ipse operetur*. Prov. 16. v. 4. Efficiens est Causa, à qvà Cognoscibile est. Hæc vel movet ad cognoscendum, *Vt rerum ipsarum dignitas, varietas, venustas, ignorantia nostra, & ex eâ profecta scientiæ & eruditorum admiratio, ac naturalis ad sciendum aptitudo & desiderium*. Rerum venustas invitat, Ignorantia instigat, admiratio concitat, desiderium inflammat ad sciendum & inqvirendum. *Naturaliter enim, nisi distortæ naturæ simus, omnes scire desideramus*, 1. Meta. C. 1. *Tantusq; cognitionis amor nobis innatus est, ut nemo dubitare qveat*, qvin ad eam hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur, Vt Cicero 3. de finib. *loqvitur. Duosq; sciendi sensus, visum & auditum, nunqvam exsatiari* Ecclesiastes *tradit* C. 1. v. 8.

C. 1. v. 8: *Quasi sciendi desiderium nunqvam impleri posse insinuaret, Qvicqvid de barbaris & distortis mentibus ac ignorantiæ fratribus sit, qvi ignorare magis, qvàm scire appetunt, & innatum hominis appetitum suffocant aut detorqvent. Spectandus enim hic homo in naturà & specie est, non ut in hoc aut illo pravo individuo est. Qvæ contrà hic moveri possunt,* ap. J. Martini C. 1. d. 4. q. 3. Et C. 6. d. 8. q. 4. *soluta habes. Et admiratio Causarum latentium multos ad inqvirendum solicitat, & ex inqvirendo ad sciendum deducit. Vnde* Pythagoras *Philosophiæ finem nihil admirari dixit, Et* Horatius, Nil admirari propè rês est una, Numici, Solaq; qvæ posfit facere & servare beatum, scripsit L. 1. Ep. 6. Vel producit ipsam cognitionem, *& ex intelligibili potentiâ facit actu intelligibile.*

15. Hoc vel primarium est, Ut Intellectus, *Cognoscibile apprehendens & considerans :* Et Ratio, *Causas inqvirens ac educens :* Vel Secundarium, *qvod ut medium & instrumentum ad intelligendum se habet.* Hoc vel remotum est, Vt *sensus externi objecta deferentes, â qvibus in objectorum formationem & cognitionem provehimur, Vnde qvod nullo modo in ullo nostro sensu est, vix in intellectu esse potest,* V. d. Notit. Nat. C. 1. t. 17. *Et in his inprimis Visus, inventionis ac apprehensionis, & Auditus, Communicationis ac institutionis sensus. Hos perficiunt* Observatio, *qvæ est singularium deprehensio & notatio:* Experientia, *qvæ est singnlarium deprehensorum collectio,* Et Inductio, *qvæ est universalium ex singularibus observatis eductio. Vt, Om. vina calefaciunt, qvia Gallica, Italica, Hispanica,* Germanica, *Cretica, Sicula, calefaciunt : Vnde* λόγος καὶ πεῖρα, Ratio & Observatio, *duo Cognitionis ocelli dici solent,* V. Coron. t. 22. Vel propinqvum, *qvod proximè ad cognitionem facit,* Hoc vel productionis *esse potest, per qvod producitur,*

ducitur, qvod Abstractio *est, qvæ est* rei cognoscendæ ab omni cognoscendi impedimento intellectualis defecatio, & ad universalem ideam conformatio: Qva*le* impedimentum *Conditio Individualis, accidentalis imperfectio, materialis immersio, status singularitatis, conjunctio rerum distinctè percipiendarum ubi servit præcisio, & simile esse potest. Sine abstractione distinctè & solidè nihil cognoscetur, eamq́; qvi tollit, solidam cognitionem tollit, cum individua omnia apprehendere neqveamus:* Solusq́; ille solidè sciens sit, qvi competenter abstrahere novit. *Ac licet non sit formalis considerandi ratio: Est tamen impedimentorum cognoscendi accommodata remotio, qvæ distinctæ cognitioni obsisterent, eamq́; impedirent: Abstractionis operâ rem in suâ formalitate cognoscimus, dum rem in ideâ nobis repræsentat. Est inqvisitio formalis rationis in latissimo, lato, & adæqvato conceptu, ad gignendam ideam & universalē conceptum. Vnde* generalia à Specialibus, substantialia ab accidentalibus, essentialia ab Instrumentalibus, rationem totius à ratione partium, Naturam à modis, essentiam ab adventitiis defectibus separat, & accidentia à se invicem distinguit: Vel apprehensionis & repræsentationis, *per qvod apprehenditur ab intellectu Cognoscibile, qvod* Conceptus *vel expressio rei est,* species rei scibilis ab intellectu formatæ, in mente rem, qvatenus cognoscenda est, repræsentans, *Res ipsas realiter & materialiter in intellectu non sistimus. Sed formaliter & per species à rebus sumptas, pro illis suppositas, & illas in animo repræsentantes,* v.t.3. *Dici &* Cōceptus formalis, forma, formalitas, idea, noēma, notio, intentio, species intelligibilis, verbum mentis, *solet. Cui opponitur* Conceptus objectivus, *qvi est ipsa res intellectui objecta, per speciem formalem in mente repræsentata.* Ille *ens reale & singulare, ut qva-*

litas

litas in intellectu hujus & illius concipientis, est: Hic *ad reale & notionale, singulare & universale, indifferens est. Interdùm reale qvid est, ut mons, elephas: interdum notionale, ut Metaphora, syllogismus. Ille semper qualitas mentis est:* Hic *ex omnibus rerum generibus esse potest, ut substantia, qvantitas, qvalitas, est.* Ille *signum hujus,* hic *signatum illius est.* Ille *semper in intellectu,* hic *sæpè extra eum est.* Ille *ab intellectu agente ut principio est, qvi species format;* hic *sæpè sine eo est, ut omnia entia realia in Naturâ esse & existere suum habentia.* Ille *propter intellectum est, ad cujus operationem ordinatur.* Hic *propter aliud qvid qvàm intellectum.* *Ac* ut abstractione veritatem asseqvimur: sic Conceptu possidemus. *Simulacra rerum mens format abstrahendo; Ad res ipsas ea conformat concipiendo, & sic verum possidet cognoscendo.* Sine ideâ *nulla intellectio:* Sine apprehensione *& repræsentatione nulla Cognitio.* Abstractio *cognoscendi impedimenta amovet:* Conceptus *formalem Rei rationem intellectui repræsentat.*

16. Principia, qvæ cognitionem excitatam porrò promovent & servant, disciplina & habitus intellectualis sunt. Disciplina *promovet & communicat,* habitus *radicat & confirmat Cognoscibile. Disciplina ob cognoscibilis propagationem ad alios, habitus ob cognitionis firmam radicationem scibilis principium dicitur.* Disciplina est rerum homogenearum sub unum objectum formale simplex vel aggregatum, revocatarum, justa, plena, & ordinata tractatio, cognoscibilis propagationi inserviens. Homogenea *hic sunt, qvæ de eodem communi conceptu participant, & vel ad idem genus vel q: genus revocantur.* Fundamentum *ejus est objectum, qvod est conceptus realis, essentialibus constitutivis & modis contrahentibus affectus, basis omnium in disciplinâ tractatorum. In eo*

duplex ratio est, materialis, *secundùm qvam latius qvid est, & in multis disciplinis considerari aptum est:* Et formalis, *juxta qvam contractius qvid, & unicæ disciplinæ adæqvatè substernitur.* Hæc vel objecti esse potest, ut res est, vel ut objectum est. *Illa entitas, hæc scibilitas est. Illa signatum, hæc signum. Illa naturæ, hæc scientiæ formale notat & constituit. Interdùm habet principia, affectiones, species* univocas rigidasq́; *h. e. accidentia prædicamentalia subjectorum suorum, ut Physicæ, Mathematicæ, objectum: Interdùm* analogicas & latiores, *ut Pneumaticæ, & Metaphysicæ, & Noologicæ. Hic sufficiunt prædicata* Synonymica, *qvibus objecti natura qvidditativè concipiatur & declaretur: Attributa* Paronymica, *qvæ ex qvidditate ejus deducantur: Et* respectus contrahentes modiq́; limitatiores, *qvibus objectum restringatur, cum principia, affectiones, & species propriè dictæ haberi neqveunt.* Disciplina *objectum recondit & tractat:* Objectum *disciplinam constituit & denominat.* Disciplina *rem explicare per præcepta & exempla, & rei explicationem ad usum transferre debet.* Præcepta *velut termini sunt, unamqvamq́; rem certis limitibus circumscribentes, ut definitiones, principia, Causæ, divisiones, & affectiones rerum exprimantur & declarentur.* Debent esse vera, certa, perspicua, Universalia, *& de objecto toto procedentia, ut non aliqvid sub eo sit, de qvo non procedant: & rebus, qvas exhibent, vel secundùm rem, vel distinctam nostram rationem & concipiendi modum consideratis conformia; & adæqvata. Hujus loci* propria sedes est doctrina de disciplinis, habitibus, & objectis intellectualibus, *cum nec Intelligentiæ, nec Metaphysicæ, aut particulari disciplinæ accuratè attribui possit. Sed cum multæ & intricata ad hanc doctrinam pertineant, peculiari tractatione doctrina ista opus habet, nec hic universa deduci possunt.* Peculiariter

culiariter *de habitibus intellectualib9 scripserũt* Andr. Duodus Alstedius in Hexilogia, Timplerus in Technologiâ & Exerc. 3. Philosoph. Multa eò *facientia habent* Piccolomineus gra. 5. Ph. mor. Jac. Mart. l. 2. ex. Meta. Ex. 9. th. 3. Mendoza d. 10. de an. s. 5. & 6. & d. 16. d. anim. & d. 1. Metaph. s. 7. Smiglecius *d.* 16. & 17. Logicâ, Suarez d. 44. s. 4. & *11*. Meta. Conimbricenses in 1. Poster. C. 26 Morisanus d. 12. Logic. Arriaga d. *1*. Logic. Raconis d. 1. d. demonstr. s. 3. Rathmannus d. 19. Metaph. Eustachius S. Pauli p. 3. Dial. 12. 3. q. 5. Hornejus l. 5. Logic. q. 15. Scheiblerus Introd. d. Philosop. n. 67. seq. & C. 8. n. 38. seq. Fonseca l. 6. Metap. c. 1 Zabarella l. 1. d. N. L. C. 2. 3. Pererius l. *1*. de Nat. Verulamius in libris de augmentis scientiarum. *Ubi novâ methodo scienda & scientias humanas partitur ac perseqvitur. Qvanqvam se non ut militem & oppugnatorem, sed ut buccinatorem hæc tradere ait, qvi non pugnam ineat, aut ad pugnandum alios concitet; sed ut conjunctis viribus naturam rerum ejusq́; edita & munita expugnent, ac fines Imperii humani proferant*, L. 4. C. 1. Sluterus l. 1. Syncrisis, Laurembergius in Pansophia, Keckermannus in meth. studiorum T. 1. Op. p. 490. 491. aliiq́; *qvi hic consulendi, & ex qvibus plura deducenda, si ex professo materiam deducere animus fuerit.*

17. Habitus intellectualis est qvalitas mentis firmè radicata, potentiam cognoscentem circa objectorum cognitionem adæqvatè, distinctè, & accuratè perficiens. Habitus *hic perfectiones sunt, & talia, qvæ mentem exactiùs in scibili determinant: Non inchoationes, qvæ determinare saltem incipiunt, ut dispositiones; aut imperfectiones, quæ vacillanter determinant, ut opinio, suspicio, fides humana, dubitatio: aut detorsiones, qvæ pervertunt, ut Error.* Qvalitas *dicitur, qvia &*

instar

instar qualitatis subjectum suum afficit, & ut constans ac firma affectio illud denominat. Quà ad subjectum, quod perficit, aut objectum, quod cognoscenti objicit, refertur, ac respectum aliquem transcendentalem ad ea habet, sic relatio *appellari potest. Absolutè tamen & primò in naturâ sui qualitas est. Ut contra* Piccolomineum grad. *2.* c. 8. & lib. d. rer. def. f. 408. alibi *ostenditur.* Et conseruat *cognitionem habitus, quà firmè radicatus est:* Et determinat *Intellectum in cognoscendis objectis, cum ex naturâ sui ad ea indeterminatus esset.* Accurate *objectum repræsentare debet, ne quid contra veritatem: Adæquatè, ne quid contra totalitatem:* Et distinctè, *ne quid contra ordinatam objecti dispositionem committatur, ne ab attributis aut speciebus inchoetur, in quidditate finiatur, sed contrà procedatur.* Verè, universè, & faciliter *repræsentare debet, nam naturam perficere occurrendo ignorantiæ, inaccurationi, & confusioni debet, & ubi natura deficit, ars perficit. Vide* Coronid. t. *13. Ad comparandum eum Natura, Cura, & Exercitatio requiritur.* V. C. l. t. 23. *Quæ* ultrà *in docente, discente, & utroq; requiruntur,* alibi *proponuntur. Non est Sola species intelligibilis, quæ objectum saltem cum intellectu unit, & unitio ipsa objecti est apprehensio: Sed perfectio aliqua, difficultatem judicii de veritate aut falsitate objectorum cognitorum tollens, & facilitatem suppeditans.* Conf. t. 3.

18. Attributa scibilis sunt habitudines essentialiter à posteriori ei competentes, ex eo fluentes, illud denominantes, & cum eo sub distinctione reciprocabiles. *Nec constituunt propriè illud, nec quidditatem Logicè faciunt, nec in species contrahunt: sed à posteriori velut consequuntur, & ut consecutiva quædam apprehenduntur, per conceptum simul repræsentantur, in disciplinâ unà cum scibili proponũtur, & de cognoscibili, ut sic, in genere per disjunctionem verificantur.*

19. Suntq; primaria & secundaria. Primaria, qvæ primariò de Cognoscibili prædicari possunt. Ut prædicamentalitas & Extraprædicamentalitas. Prædicamentalitas est, qvà scibile ob compositionem certo rerum generi subjacet. *Hoc in rebus creatis Logicè compositis, entibus per se, & realibus locum habet, ac per 10 prædicamenta Logica spargitur.* Extraprædicamentalitas est, qvà scibile ob perfectionem vel imperfectionem rerum, genera respuit, ut directè illis contineri non posit. Estq; vel Eminentia, *qvæ in rebus nobilitate sui rerum genera excedentibus obtinet. Hæc in Spiritu, ut sic, & ut infinitus est, attributis, actibus & mysteriis divinis est, ut Deo, Christo, Sp. S. Creatione, Prædestinatione, &c.* Vel Transcendentia, *qvæ in rebus generalitate sui genera excedentibus est, ut Ente, ejus attributis unitis & disjunctis:* Vel deficientia, *qvæ in rebus imperfectione sui â generibus rerũ deficientibus est, ut privationibus, Entibus rationis, negationibus. Hæc Cognoscibilia sunt per opposita sua, qvibus contradistinguntur, & â qvorum essentiis multum deficiunt.* Secundaria, qvæ secundariò de scibili prædicantur. Ut Vnivocatio & Analogia: Unde scibile vel univocum vel analogum appellatur. Æqvivocatio *locum non habet, sed studiosè â scibili removenda, & distingvendo tollenda est.* V. t. 3. *Per accidens in conceptibus invenitur, vel ob intelligendi inadæqvatam distinctionem, vel vocum defectum, qvo unâ voce diversas res appellare cogimur. Ita non unum certumq́ qvid intellectui sistit æqvivocum, Sed distrahit.*

20. Univocatio est, qvà scibile multis tribui potest æqvaliter, æqvalitate attributionis, ut non uni per prius aut originationem, vel infinitam eminentiæ perfectionem, alteri per posterius & derivationem, vel habitudinem ad prius

prius, vel posteriorem saltem participationem ac dependentiam à priore tribuatur, & si unum altero nobilius ac dignius esse possit. Sic animal *de omnibus inferioribus, homine & bruto, æqvaliter prædicatur qvà attributionem ejusq; ordinem: Etsi homo dignior animalis species, qvàm brutum sit, per differentiæ nobilitatem.* Sed ens *de substantiâ & accidente inæqvaliter prædicatur in ipsâ attribuendi entis ratione. Entitas enim per prius & originaliter est in substantiâ: dependenter & ad habitudinem ad eam in accidente, Involvitur enim semper, qvòd sit ens in substantiâ. Similiter &* de Deo & creaturis, *ente reali & rationis dicitur, qvamvis in hoc vera æqvivocatio sit.* Analogia est, qvà scibile inferioribus inæqvaliter inæqvalitate ipsius attributionis secundùm prius & posterius, originationem & dependentiam, eminentiam & participationem, tribuitur. Hæc vel proportionis *dici solet, qvæ est ipsa æqvivocatio, ut ridere hominum & pratorum:* Vel attributionis, *qvæ per ordinem attribuendi diversum procedit.* Hæc vel externa est, *cum uni internè, alteri externè conceptus tribuitur, ut sanitas animali, urinæ, & medicamento:* Vel interna, *cum utriq; internè.* Hæc vel cum dependentiâ *unius ab alio est, ut ens de substantiâ & accidente, amicitia de honestâ, utili, & jucundâ:* Vel sine illâ, *ut generatio de divinâ ac humanâ, ubi nulla habitudo hujus ad illam est, nec ab illâ propriè hæc dependet.* In analogis mysticis *analogia* vel *per attributionem perfectionis eminentem in principali analogato explicanda: Sic entitas in Deo longè eminentior, ac creatis:* vel *omnis imperfectionis in eodem remotionem. Sic generatio divina sine mutatione essendi, morâ, tempore, essentiæ multiplicatione est. In communi conceptu sola ratio formalis præcisis omnibus specialibus conditionibus ad hoc vel illud membrum pertinentibus, repræsentanda est.*

COROLLARIA
â
Reſpondente adjecta.
Ex Logicis.

1. AN pro legitimo genere Logicæ asſignando 5. habitibus Ariſtot. qvos l. 6. Eth. c. 3. recenſet, ſextus adhuc ſit addendus? N.

2. An Oratio ſit objectum Logicæ? D.

3. An, qvia ad prædicam: tantùm referuntur Entia realia, Poſitiva, *Qvando, Vbi, Habitus*, et cæteri modi, qvi non habent Eſſentias ita primarias & abſolutas, è Catalogo Prædicamentorum erunt exterminandi? N.

Ex Ethicis.

An Ethica ſit diſtincta diſcipl. â Polit: & Oecon? A.

Ex Metaph.

1. An Metaph. ſit diſtincta diſcipl. â Logicâ? A.

2 An juxta communiter receptam ſententiam principiorum ratio rectè ad ſolam pertineat Metaph. N.

3. An Subſtantia completa ſit ſuppoſiti genus? N.

4. An ad rationem ſuppoſiti hoc tantum reqviratur, ut ſit ſubſtantia prima? N.

Ex *Phyſ.*

1. An Natura agat propter certum finem? A.

2. An detur Antiperiſtaſis A i. e. intenſio qvalitatis alicujus activa, ex obſesſione contrarii excitata? A.

3. An 3. dentur principia Chymica? D.

Ex Opticis.

An viſio fiat per emisſionem, an v. per receptionem, Aff. an per utriusq; concurſionem? medium.

Gloria

Ad Reſpondentem.

GLoria Pellæo fuit ingens parta Monarchæ,
Qvòd rupit validâ Gordia vincla manu.
Gloria, Knebeli, tibi, namq; ſcienda recenſes,
Qvidqvid & in toto noſcitur orbe σόφων
Non laus vana, rei cauſas noviſſe modosq;,
Diſtinctèq; omnis tradere Noſcibilis.

Benevolentiæ
ergò appoſ.

Henricus Nicolai, Præſes.

Aliud.

Dum te, KNEBELI, vis ipſum noſcere, laudes
Continuè noſcent poſtuma ſecla tuas.

Niech ćię też y, moi Polak, Prziiaćielu, śpiewa,
Niech do, ogniá twei slawy oleiu Przilewa:
Ktoremu śię przy pátrzać y náſ miemice będzie
Azgo, Węgrá, y inze Wnot przegrzeie wſzędźie.

Sic duplici lingvá, ſed uno corde gratulari
voluit Dn. Reſpondenti, amico ſuo

Joannes Acoluthus, Vratis-
lavienſis.

D. O. M. A.

De

COGNITIONE
Humana universa,

Hoc est,

De omni scibili humano universim sumpto,

Exercitatio Posterior.

Species Cognoscibilis humani repræsentans.

Ad sentētiarum Collationem in Gymnasio Dantiscano Proposita,

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philos. Professore Publico.

Respondentis partes expediente

IOHANNE NOSTITIO,

Solnâ-Pannonio.

Ad diem 27. Febr. S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI.

Typis Viduæ Georgii Rhetii, Gymn. Typog.

Anno 1648.

De Speciebus Cognoscibilis.

Thesis XX.

SIc generatio in communi sumpta viventis à vivo per essendi communicationem origo erit. *Plura & specialiora de analogiâ doctissimè evoluit* Dn. Wegerus s. 1. Log. C. 4. *Qvædam* & Bellovisius tr. 2. tem. C. 281. Suaretz.]d. 28. Metaph. s. 3. n. 5. seq. & l. 32. s. 2. n. 12. seq. aliiq; *habent, qvi hic lustrari possunt.* Et Ego specialiter *deducam, Vbi mihi occasio fuerit, Cum rem utilissimam esse, multosq; non satis accuratè in eâ procedere videam* Sic generationem divinam & humanam se *analogicè habere asserunt, sed* nec *tamen analogiam satis explicant,* Nec *qvæ generatio analogata esse debeat, dicunt,* Nec *difficultates, qvibus implicantur, satis amovent,* Nec *rei ipsi aut Adversariis satisfaciunt,* Et *variis periculis semetipsos involvunt, Vt* pleniùs *alibi, si Deus voluerit, deducetur.*

21. *Sic* principia & attributa scibilis *fuerunt.* Species ac divisiones ejus sunt, qvà omne scibile humanum, *qvod ab hominis intellectu ullo modo sciri potest,* Vel liberale vel illiberale est. Qvidam *in scibile Dei, Naturæ, & artis dividunt. Et* nos *etiam secuti sumus,* Pansoph. liber. Introd. t. 7. *Ac summa sciendorum capita breviter ita stringuntur.* Distinctiùs *tamen ad dictam formam proponi possunt.* Liberale est, qvod de objecto liberali animi & liberalis cognitionis ac felicitatis liberalis gratiâ oculis mentis cognoscitur, *Vt contemplando vel agendo animus humanus liberaliter*

perficiatur. Hoc vel reale, principale, ac per se est, Vel Notionale, & per aliud. Scibile reale & principale est, *qvod merito sui ipsius & ob proprium suum finem, non alienum, Ut aliorsum accommodetur, illiq́; inserviat, ab intellectu humano cognoscitur.* Hoc vel supernaturale vel naturale est. Supernaturale, *qvod de Objecto supernaturali est, & tali revelationis principio nititur, indeq́; deducendum & ad illud revocandum est. Tale scibile est* Theologicum, & qvod mysteria fidei ac spiritualia scienda complectitur, *qvæ ex solâ Naturâ nec inveniri hauriri, inqviri, nec sufficienter percipi possunt, sed majore, ac Natura est, principio ad cognoscenda ea opus habent.* Hoc in Theologiæ habitu, *qvæ ob id habitus* θεόσδοτος *& divinitùs datus est, qvod principium ejus specialis & supernaturalis divina revelatio sit, etsi aliàs operâ ac studio nostro ordinariè acqviritur, adæqvatè, distinctè, & accuratè ex proprio & adæqvato suo principio, Lumine gratiæ & spirituali revelatione, hodiè* Scripturâ *comprehensâ & aliunde non expectandâ, repræsentandum, In disciplinâ ac systemate Theologico exhibendum, & aliis communicandum est. Qvâ ratione methodicè illud exhiberi & plenè exhauriri qveat, in Theologico Systemate specialiter est pertractandum.* An habitus speculativus, *ac activus, an uterq́; & ex utroq́; aggregatus sit, qvod verum accuratumq́; ejus genus, Objectum, divisio, qvi modus docendi discendiq́; eum commodissimus sit, in* Præcognitis Theologicis *disceptabo.*

22. Scibile naturale est, qvod de naturali objecto est, naturali revelationis principio, Lumine naturæ & Creationis, nititur, indeq; deducendum ac ad illud revocandum est. Hoc primarium & independens, & secundarium ac dependens *esse potest.* Primarium, *qvod à nullo alio scibili naturali pendet, unde principia & objecta mutuetur, sed aliis*

aliis illa ipsa elargitur, aliaq́ scibilia hinc objecta & principia sua derivant. *Tale* scibile Philosophicum *est, qvod Philosophiæ Objectum est, inq́ eâ distinctè & adæqvatè repræsentari liberalis cognitionis gratiâ ad naturalem animi felicitatem debet.* *Hoc qvid specialiter sit,* Coron. Log. t. 12. *deductum fuit.* Estq́; contemplabile vel agibile. Contemplabile est scibile, *intellectui sub objecti scibilis tantùm ratione, & solius scientiæ, ut adæqvati ex naturâ sui finis gratiâ, objectum. In hoc enim ex naturâ ipsius objecti alius finis proximus & adæqvatus esse non potest, nisi scire. Si ultrà qvis progrediatur, non ex fine objecti ipsius scibilis agit, sed ex accidentario & suo.* V. c. l. t. 15. seq. Materiale *ejus est ens reale, Naturale, necessarium.* Formale, *ob solam theoriam & contemplationem, ut adæqvatum finem, ex Naturâ sui objici.* Theoriæ formalis ratio *est rei ex naturâ sui non operabilis cognitio.* Principia *sunt Intellectus theoreticus & Contemplatio, qvà mens necessaria entia eorumq́ attributa speculando seipsam ad intra perficere potest.* Media *sunt abstractio rei à principiis, attributis, & speciebus: Et Conceptus à rebus abstractus, qvi in intelligendo sistat, non ad operationem ab intellectione diversam respiciat.* Repræsentantia *ejus habitus & disciplinæ Philosophicæ theoreticæ sunt. Determinatio earum generalis, qvot & qvales illæ, in Præcognitis* Philosophicis *est.* V. Coron. Log. t. 21 *Specialis ratione inferiorum disciplinarum & Objectorum in illis* Metaphysicæ *est, Ea enim ut Architectonica inter theoreticas omnibus disciplinis inferioribus Objecta assignare debet. Conseqvens ejus est utilitas, qvæ χρῆσις sit. Omnis enim Cognitio debet esse utilis ad perficiendum intellectum: Non ea, qvæ πρᾶξις Et operatio ab ipso intellectu & cognitione distincta sit. Hæc tantùm in practicis & poeticis reperitur.* Conf. Coronid. Log. t. 18.

 23. Scibile

23. *Scibile Philosophicum* Contemplabile aut rerum summam affinitatem speculatur, *Unde communissima principia exsurgunt, Inde* Intelligentia seu Noologia *oritur*, aut rerū *summam qvidditatem & diversitatem, Inde* sapientia. Intelligentia est habitus theoreticus simplex, prima rerum principia in affinitate earum fundata indeq; deducta simplici assensu sine discursu ad contemplandum repræsentans. *Simplex habitus est, qvia simplice assensu principiis subscribit eaq́ recipit, non per aliud prius interveniente discursu & ignotioris ex notiore illatione, ea probat. Summa enim & primæ principia ipsa sunt, qvæ priora, & qvibus probentur, non habent: Nec alia velut Conclusiones ex istis principiis deducit, Ut sapientia facit, sed in ipsis principiis contemplandis sistit.* Talia principia vel theoretica *sunt, Ut, Qvidlibet est aut non est, Impos. est aliqvid esse & eodem modo simul non esse, Qvod qvis nullo modo habet, alteri dare non potest, Deus est*: vel Practica, *Ut honestè vivendum, bonum agendum, malum fugiendum, nemo loedendus est. Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, Ubi synteresis vocatur*: Vel Poëtica, *Ut, sermonē ad Grammaticam conformare fas est, Elegantiam verborum & phrasium, qvoad licet, sectari licet, Cultum verborum non oportet præferre cultui rerum, sed postponere. Ornatius est ligatè loqvi, qvàm solutè.* Qvidam *in totum hunc habitum negant*. Alii *synteresin specie ab eo diversam putant, Ut* Coron. t. 21. *dictum*. Sapientia est habitus theoreticus ortus, principia rerum prima & conclusiones inde deductas simul cum discursu ad contemplandum repræsentans. Ortus *habitus est non in ratione sapientiæ, sic enim scientia propriè sapientia orta est*, t. 25. *sed habitus, qvia ad assentiendum Conclusionibus per principia inclinat*. Compositus *est, qvia principia simul & Conclusiones involuit.*

24. Et

24 Et quia de diversis rebus diversas Conclusiones perpendit, illarum ratione diversitatem admittere cogitur. Principia eadem esse possunt: Sed res & Conclusiones de rebus ex principiis deducta diversissima esse possunt. Inde ad certa Objecta revocata sapientia varia fit, & alia prima, alia secunda appellatur. Prima est quæ è primis summisq́ principiis Conclusiones ducit, & universa ad prima principia revocat. Hæc de omni ente in generalissimo conceptu agit, in quantum Ens est, deq́ illis, quæ Enti ut ens est, competunt, Vt substantia & accidente. Illud in universalissimis principiis speculatur, & Conclusiones ex illis deducit. Novit omnia non sigillatim, sed universim in virtute generaliss. principiorum & terminorum, Vt Deum in ratione substantiæ primæ, angelum in sub. secundæ incorporeæ, Ignem, terram, in Corporeæ, Calorem, frigus, siccitatem, in ratione qualitatis patibilis, &c. Difficilima est, quia generalissima & a specialibus ac inferioribus abstractissima: Accuratissima, quia ad prima principia, quæ verissima & maximè Catholica sunt, & exceptiones non habent, omnia revocat & examinat: Summè didactica quia rerum connexiones è primis seminiis deducit: Summè appetibilis, quia omnia in generalissimis principiis, quæ à nullo negari possunt, ab omnibus recipiuntur, demonstrat. Inde scientiarum aquila, sapientia absolutè, scientia cum Capite, Prima Philosophia, & absolutè interdùm Philosophia, V. Cor. t. 5. appellatur. Et talis sola Metaphysica est, quæ & Intelligentia dicitur cum virtute applicandi prima principia: Et inferiores disciplinas omnes dirigit, omnium objecta Cognita habet, leges ex receptissimis notionibus erutas illis præscribit, & approbationes, positiones, ac principia earum ad prima principia revocat. Intelligentiam non dirigit, quia non inferior hac illa est, sed æqualis, & paris cum hac generalitatis: Sed ad suas assertiones & Conclusiones confirmandas applicat.

25. Secunda sapientia est, qvæ ex secundis ortisq; principiis Conclusiones suas deducit. Hæc scientia *usitate vocatur, & de ente necessario determinatæ ac specialis qvidditatis tractat, ac particulares Conclusiones extra objecti sui limites non procedentes, format.* Principia *habet, Vnde sua deducat, sed secunda, & qvæ respectu primorum Conclusiones dici qveant. Vnde scientiam solarum Conclusionum esse dici solet. Nec Solius rigidæ demonstrationis effectum hic Scientia notat: Sed omnem* habitum theoreticum Conclusionum de objecto speciali & determinato formatarum. *Sive omnes probationes sint Apodicticæ, sive qvædam analogicæ & necessariæ in genere tantùm sint, Modò omnes necessariæ & ex necessariò veris principiis deductæ sint. Præter demonstrationem enim est* & necessaria probatio generalis, analogica, innominata. V. d. 13. Log t. 19. 22. *Hæc scientia* vel substantiam *speculatur, eamq;* vel *spiritualem, Vt* Pneumatica, Vel *Corporalem, Vt Physica*: Vel *accidens, Vt Qvantitatem. Et hanc* vel *abstractè & à Corpore præcisam,* Vel *Continuam, Vt Geo vel* Posometria, *Vel discretam, Vt* Arithmetica, *Vel Concretè in Corpore conjunctam, Vt* Cosmographia, Astronomia, Astrologia, Geodæsia, Gèographia, Architectonica: Vel *cum qvalitate sensibili concretam, Vel sono, Vt numerum in sono* Musica, *Vel luce & colore, Vt longitudinem in visu* Optica, *Vel tangore, Vt ponderositatem, gravitatem & levitatem* Statica *contemplatur. Ex qvibus* Mechanica Mathematica ac Ingeniaria *deducitur, Vt Geometrica, Statica, Optica, Vt* Introd. ad Pans. lib.t. 1. *monitum.*

26. Scibile agibile est scibile Intellectui sub actus moralis Vt objecti ratione, & actionis moralis Vt adæqvati ex naturâ ipsius objecti fluentis finis gratiâ, in qvo acqvies-

qviescendum, objectum. *Ejus habitus dicitur* Prudentia, *habitus cum rectâ ratione bonorum ac malorum homini moralium activus*. Materiale *ejus est ens reale, Naturale, liberale, contingens*. Formale *est, naturâ sui agi posse & velle, ac ob operationem moralem ab ipsâ Cognitione distinctam Vt adæqvatum finem ex naturâ sui objici*. *Et* Praxis est Cognitio rei ex naturâ sui operabilis, *qvà voluntas ob boni considerationem ad honestum peragendum extenditur*: Vel *Operatio Intellectus practici à ratione regulata, à Cognitione ipsâ distincta, alium realem actum à cognitione diversum ad honestum ordinatum intendens & relinqvens*. Principia *sunt intellectus & ratio practica, ac ipsa praxis, functio Intellectus circa operabile occupata, ad operãdum moraliter extensa, non in ipso intellectu terminata, sed à facultate menti subordinatâ, ut voluntate aut appetitu sensitivo directo ac rectificato, exeqvenda*. Gnosis & Cognitio hic reqviritur, sed non theoria & speculatio. V. Coron. t. 17. Media Cognoscendi *sunt abstractio à singulari conditione, & Conceptus rerum agibilium, qvi non in intelligendo sistat, sed moraliter agere reqvirat*. *Ex naturâ enim sui* πράκτα *agi volunt, non sciri, Etsi ex accidente & intentione discentium sciri saltem possint*. Agere naturaliter & medicinaliter *ad sanitatem in Medicinâ*, artificialirer *strictè in mechanicis artibus*, analogicè *& similitudinaliter in instrumentariis habitibus, Vt* Logica, Rhetorica, Grammatica *reqviritur*. Objectum Philosophiæ practicæ *est actus* & *agendum, Et secundùm determinationes suas speciales partes sortitur*. Agibile Vel in Communi & *abstrahendo ab omni vitæ statu spectatur, sic in* Eth'cis, Vel in speciali, *Et ad certum statum determinando*. Hoc vel *in Oecon. sic in* Oecon: Vel *Politico, sic in* Politicis, Vel *Scholastico, sic in* Scholasticis *spectatur*; Vel *deniq; in exemplo & singularibus*

actibus

actibus repræsentatur, & horsùm pertinet Historica, *Exemplaris rerum Mundi ordinata repræsentatio,prudentiam moralem homini suppeditans. V. Cor. t. 21.*

27. Scibile reale secundarium & dependens est,qvod à Philosophico pendet, indeq; objecta & principia Conclusionum mutuatur. Tale Iùridicum & Medicum est. *Vtrumq; practicum est. Sed illud magis specialiter practicum & morale est: Hoc magis* Poeticum *& Naturale.* Juridicum *est scibile practicum ad* justitiam *in Republ. prudenter ac specialiter dirigendam, servandam, & administrandam, ordinatum. Hoc* Jurisprudentiæ Objectum *est, qvæ adæqvatè, distinctè, & accuratè in toto illo omnibusq; ejus speciebus eruendis ac repræsentandis occupata esse debet.* Principia *Ethicæ, Politicæ, Historicæ, præsupponit & adhibet, Vt si illa non essent, Iurisprud. & Conclusiones juridicæ esse nõ possent.* Medicum *est scibile practicum,* (generaliter *vocem praxis sumendo,pro omni liberali theoriæ contradistinctâ & ab intellectu ad agendum regulatâ actione, non præcisè morali praxi,) ad sanitatem hominis naturali modo per naturalia media artificialiter applicata promovendam specialiter ordinatum.* Hoc Medicinæ *Objectum est, inq; eâ distinctè & adæqvatè per universa media,per qvæ finis Medicinæ intendi & acqviri potest,deducendum.* Principia *Physicæ, Arithmeticæ, Astronomiæ, Astrologiæ, Historiæ, prærequirit, Vt sine illis Conclusiones Medicæ esse non possint. Specialiter qvomodo hi habitus repræsentandi sint, in* Tabulis Pansophiæ liberalis *inter alia ostensum, & apud Authores, qvi ex professo de illis scripserunt, deductum est. Iurisprudentiam qvi distinctè in habitum repræsentârint, pauci sunt.* Althusius in Dicæologiâ, Vulteius in jurisprud. Romanâ, Tholosanus in Syntagmate, Hopperus in Isagoge, Schefferus in arte juris, Alstedius in Encyclo-

pædia majore, Donellus enucleatus, Giphani9, Wesenbecius in paratitulis juris, Keckermannus in Methodo Juris, aliiq; *aliqvid præstiterunt.* Medicinam *plures sunt, qvi delineârunt. Vt* Fuchsius, Heurnius, Liddelius, Fernelius, Sennertus, Horstius, Fallopius, Salius, Aegineta, Simoneta, Mercatus, Ionstonus, Iaccheus, Plempius, Voesius, Platerus, aliiq;.

28. Scibile instrumentale & per aliud est, qvod non merito sui ipsius, sed ob alium â sui cognitione finem & utilitatem aliqvam ab intellectu cognoscitur. *Hoc Objectum habituum instrumẽtalium est, & in illis distinctè adæqvateq́ repræsentandum est. Hoc scibile* Vel modum ipsum *dextrè judicandi de disciplinis omnibus earumq́ nativâ indole ac genio proponit, qvi realibus principiis nititur, & hoc* Pædia disciplinaris *facit, de qvâ* Tab. Pansoph. p. 1. *monui, & peculiari disputatione deducam:* Vel *notionem aliqvam secundam ad specialem aliqvam intellectus operationem facilitandam proponit, & hoc reliqvi habitus instrumentales faciunt, ut* Grammatica, Logica, Rhetorica, Poëtica, Mnemonica. Objectum *hic Ens rationis & notio aliqva secunda est, non reale & notio prima,* nec *realis objecti cognitione disciplina instrumentalis animum perfundit.* Notio secunda est notio *conceptum non immediatè â re intellectâ, sed â modo intelligendi sumptum notans, & immediatè in conceptu rei fundatur, non re ipsâ.* Abstractio *in hoc scibili non est â materiâ, qvæ hic determinatè nulla, sed rebus omnibus, qvibus Intellectus notiones secundas imposuit, Vt vel sub actu intellectus in semetipsum reflexo interdùm illæ stant, ex qvâ reflexione rationem qvandam ad operationem mentis tantùm perdurantem ex habitudine & relatione rerum oriundam reperit, qvà rem denominet. Facilitat tantùm rerum co-*

gnitionem, non ipsam rei notitiam immediatè rem repræsentando suggerit, Eoq; nec propter se cognoscibilis est. Scibile instrumentale vel propter omnes disciplinas formatur, *Et hoc* Vel *ut veritatem rerum facilius, distinctiùs, & accuratiùs percipiamus, Qvod notio secunda Logica facit,* Logicæ *objectum, & in eâ adæqvatè, distinctè, & accuratè pro fine suo, judiciosâ ratiocinatione, proponendum*: Vel ut perceptas res commodiùs *servemus, & cum usus est, depromamus, qvod notio* Mnemonica *facit,* Mnemonicæ *objectum, & in eâ distinctè pro fine suo repræsentandum*: Vel propter qvasdam, *ut bonum nempè faciliùs inducamus, aut verum aptiùs persvadeamus, & inprimis virtutum usum commodiùs instillemus. Hoc* notio Rhetorica *facit, ad ornatè dicendum composita, in Rhetorica adæqvatè explicanda;* Et Poëtica, *ad ligatè dicendum composita, in Poeticâ adæqvatè explicanda.* Lexicalia & Philologica *his omnibus substerni,* vel *ad Grammaticam, Oratoriam, Poeticam, Rhetoricam, similiaq; referri possunt;* Vel *interdum historici qvid involvunt, & sic ad Historiam pertinere poterunt.* Vocum enim notitia non est primaria, sed secundaria, *& propter res ac rerum scientiam, eamq; proponendam, describendam, exornandam, persvadendam, naturâ sui expetitur & expeti debet, non propter seipsam.* Qvicqvid *de fine aut intentione discentium sit, qvi accidentarius & alienus hic est. Non voces ob voces, sed res & conceptus discuntur.* V. D. 7. Log. t. 8. *Et hi habitus instrumentales* non Philosophiæ partes, sed instrumenta sunt, *æqvè ac Theologiæ, Iurispr. & Medicinæ, & materiæ eorum ab his ut instrumenta, prærequiruntur, non in illis qværi aut proponi debent.* V. Coron. th. 16. *Philosophia naturæ rerum scientia esse debet: non notionum instrumentalium in rebus adhibendarũ.*

29. Sic Cognoscibile Naturale liberale fuit: Illiberale est, qvod illiberalis cognitionis gratiâ intellectui objicitur

citur, ut organis corporis ad vitæ emolumentum aut ornamentum verè & externè efficiatur. *Hoc* artium verarum & strictè dictarum Objectum *est, quæ sunt habitus mentis cum rectâ ratione operum verorum, realium, & externorum per organa corporis realiter affectivi* Effectio *specialiter hic est operatio intellectus ad aliqvod reale & in sensus externos incurrens â facultate subordinatâ per organa corporis exeqvendum directa. Per hoc ad solas artes manuarias restringitur.* Nec artis *vocabulum* latissimè *hic sumendum, ut omnem habitum disciplinarem notet, ut* Alstedius, Timplerus, & Ramistæ *interdum sumunt:* Nec strictissimè, *ut solas eas artes notet, qvarum opus ab operante distinctum & separatum est, Vt Calceus â sutore, Vestis â Sartore, sed & qvarum opus in operante recipitur & terminatur, Vt saltatio in saltatore, gladiatio in gladiatore:* Nec latè, *ut & artes scibile liberale tractantes comprehendat, qvales Medicina & habitus instrumentales sunt, & in Mathematicis Mechanicæ qvadam illis subordinatæ videntur, & â qvibusdam plastica, sculptoria, pictoria, cœlatoria, Chirurgica, typographica, inter eas numerantur.* V. Laurembergium præf. Pansophiæ t. 1. Reyerum d. 17. Phil. t. 211. *Vbi ex fine interdùm de illis judicandum, Vt post patebit:* Sed solas illiberales, *qvæ & vera opera producunt, & verâ proprieq; dictâ effectione procedunt, & ad talem effectionem naturâ sui & intentione fineq; ipsius habitus ordinantur.* Conf. d. 1. Log. t. 16. *Vbi effectio ipsa non intenditur, sed mera scientia, Ita circa effectivum & artificiale versari potest etiam scientificus,* sed tantùm cognoscendo aut operationem dirigendo, non autem ipso operando, efficiendo, vel effectionem in seipso intendendo. *Sic Architectus ingentarius utentibus præest eosq; dirigit: Operâ manuum solus utitur manuarius & ædificator. Hic verè artifex est: Ille*

ei analogus, ab eo tamen verè distinctus, non cum eo confusus aut commistus est. *Sic* Principes *qvidam aurificinam, tornatoriam, aliaq́ artificia calluerunt, Nonnisi rarissimè exercuerunt, nec exercere intenderunt.*

30. Objectum artis, propriè ita dictæ, *Circa qvod ipsa versatur, realis aliqva & sensibilis materia est, Circa qvam formam aut perfectionem inducendo ipsa versari potest. Hæc operationibus artis & artificis ut fundamentum substernitur, & sine qvâ artis operatio esse non potest. Opus enim artis non ex nihilo nec in nihilo fieri potest, Cum nec Natura, arte superior, in nihilo operari possit, sed hoc potestati DEi relictum sit.* V. Dec. 1. Misc. d. 5. t. 11. *Vulgò* omne effectivum & ποιητικὸν hoc Objectum dicitur. *Constatq́ etiam Vel* materiali *seu re considerata*, Et formali *seu considerandi modo.* Res considerata vel *materia ipsa, circa qvam ars occupatur, multis artibus communis esse potest.* *Sic* circa ferrum *ars ferraria, seraria vel claustraria, falcaria, scutaria, poliaria, loricaria, cultraria, occupantur.* Circa lignum *lignaria, arcularia, doliaria s. vietoria, Carpentaria, tornatoria, statuaria, scandularia, Cribraria, Carbonaria.* Formale & modus considerandi sub certâ ratione ad figuram *aut exteriorem formam & ad certum finem, uni arti sunt propria, nulli alteri competentia, reciproca, & cum arte ista convertibilia.* Sic seraria *ferrum, ut seræ inde conficiantur, anchoraria, ut anchoræ, Cultraria, ut cultri, loricaria, ut loricæ, tractant.* Carpentaria *lignum, ut carpentum, currus, rheda, tornatoria, ut vasa tornata, doliaria ut dolia, circuli, statuaria ut statuæ ligneæ inde conficiantur, tractant.* Objectum *artis propriæ* ens reale *esse debet, non fictitium, imaginatum, aut ens rationis tantùm.* V. d. 1. Log. t. 16. 17. Unum formaliter *& sub artis formali, etsi materialiter multum esse possit.* *Sic ædificatoria lapides, ligna, fer-*

ramenta, cœmenta, lutum. ſtramen, reſpicit, ſed ſub ratione materiæ ædificabilis, Vt ædificium inde ſtrui & in formam ejus iſta compingi posſint: In noſtrâ poteſtate poſitum, qvod effici, & alio ac alio modo effici, diſponi, & in certam formam redigi poſſit: Arti ipſi æqvale, non latius eâ, nec anguſtius. Artifici cognitū, & primò in arte ſecundùm finem ejus, qvem ipſa intendit, cognoſcendum. Sic ferraria ferrum cognoſcit, ut cudi & duci debet. Qvomodo in terrâ generetur, qvæ ratio venarum ejus, ex illis eruatur, non curat, ut extra finem ſuum poſitum, & ad Phyſicum aut metallurgum remittit.

31. Principium artis eſt intellectus poëticus vel artificioſus, per organa Corporis & facultatem locomotivam operationem exſeqvi volens & valens, t 26. Idea dirigens in mēte artificis abſtractū aliqvod & impreſſū eſt, ſecundū qvod operatio expediri debet. Sic architectus ideam ædificii cogitat, qvod ſtruere parat. Medium eſt abſtractio à materia ſingulari, non univerſali. Aliqvam enim materiam in arte eſſe oportet, ut objectum, circa qvod ars verſetur, t. 30. Et abſtractio ſecundùm rationem, qvâ figuræ in mente artificis conceptæ citra materiam ideæ operationis illi ſunt, Non ſecundùm rem, Cum in operando qvivis ſenſilem poſcat materiam. Exeqvens principalis eſt vis locomotrix imperio intellectus & voluntatis ſubdita, ad præſcriptum eorum efficiens: Inſtrumentalis manuaria inſtrumenta cuilibet operationi artis inſervientia & accommodata ſunt. Multa horum nonnullis propria Reyerus d. 17. Philoſ. t. 236. ſeq. enumerat. Finis eſt veri ac realis operis externi effectio, in agibili illiberali. De hoc enim jam tractatur, t. 29. Medicina n. etſi ars ſit, & reale opus habeat, liberalis tamen eſt, non illiberalis, t. 27. Eoq; ejus opus ſemper craſſum & externum eſſe non neceſſe eſt. Sic Correctio intemperiei in liene. Finis

nis artis ens reale & positivum sit, *ex naturâ & scopo artis æstimetur, non animo aut intentione discentis, aut accidentariis conditionibus:* Ex *eo de omnibus in arte traditis judicetur, omniaq́ ad eum in arte referantur :* Et *qvid sit, ac qvòd possibilis sit, in arte cognoscatur :* Per *veram & propriè dictam effectionem inducatur, & essentialiter ad operationem ordinetur, non in solâ cognitione sistatur:* Principale *qvid sit, ut in eo ex naturâ ipsius artis ut ultimo ejus fine qviescatur, non instrumentale, ut ex eadem ad aliud qvid accommodetur. Sic ædificatoriæ finis ædificium est. An habitatio accedat, ipsa ex se non curat,* t. 22. In instrumenta lib. habitibus, *ut Logicâ, Grammaticâ, nec vera effectio, nec finis principalis est, eoq́ propriæ artes non sunt.* V. d. 1. Log. c. 1.

32. Sunt *tamen, qvi in illiberalibus artibus qvasdam in*strumentales *dici posse censent, Vt frænifactoriam, restiariam, ephippiariam, qvasdam principales, Vt eqvestrem, nauticam, fabrilem, Vt* Vt Reinhothus d. 12. Eth. t. 17. Et ex Aristotele 2. Phys. t. 24. Ex. 1. Eth c. 1. *deducit, Vbi Ar: subordinationem artium agnoscit,* Alii etiam in Meth. Log. p. 171. *A qvib. non multum* Conimbric. aliiq; *abeunt.* Qvidam *a. nullam artem naturâ sui alteri subordinatam putant, Vt* Lauremberg. in Pansophi. p. 31. seq: *Et* rectiùs *hoc. Nam & realis effectio ac operatio cuilibet arti pro proximo fine objecta id docet, & operum ejus ad alterius artis usum accommodatio* magis ex usu ac applicatione hominum artibus utentium, qvàm naturâ artis ipsius, *magisq́ ipsius* operis *in arte, qvàm* artis *est. Sic frænifactoria frænum & simile qvid, ephippiaria ephippium, restiaria restim, ut essentialem finem intendit, & in eo qviescit. Sed eqvestris, aurigaria, nautica,* opera ista *ad suos usus applicant, non artem ipsam. Frænifactoria frænum parare intendit, etiamsi eqvestris ars nulla esset, qvæ eo ad suum usum uteretur, sed simplici eqvita-*

eqvitatione omnes contenti essent. An & Magicæ artes inter veras artes numerandæ, ut Conimbricensib. Gratiano, Stumpfio, *aliisq; placet, Qvibusdam tamen, Vt* Sculteto, Thoma, *aliisq; negantibus, hic qværi solet? Principium & finis veræ artis, intellectus Poëticus, Et ens reale, t. 31. Et semper bonus & in bono, hic non sunt, sed Sathanas, æternus Dei & hominum hostis, definitio artis hic etiam non sufficiens, & in multis præstigiæ, ludibria, fraudes, ac vanitates tantùm sunt, non reales effectiones Vt in artibus, Qvomodo* Curtius *de Magiâ,* l. 7 C. 4. Si modò ars est ea, *& non vanissimi cujusq; ludibrium, ait. Prout pluribus* Tract. d. Mag. act. C. 2. t. 3. seq. *deducam.*

33. Cognoscibile illiberale qvaliter dividendum, ut adæqvatè exhauriatur, *nihil relinqvatur, incertum est. Cum cognitio ejus non ad animi felicitatem, sed Corporis necessitatem aut voluptatem faciat, non multum in liberali cognitione curatur, sed secundariò & obiter tantùm cognoscitur. Nec ad Philosophiam aut ullam liberalem facultatem refertur.* In necessarium tamen ac voluptarium *dividi potest.* Necessarium, *qvod* vel immediatè *ad victum aut amictũ facit, Vt textorium, sartorium, sutorium, molitorium, pistorium, lanionium, coquinarium,* Vel mediatè, *qvod per aliud eò facit, ut fabrile, lignarium, metallurgicum, vitriarium, restionium, &c.* Voluptarium, *qvod ad voluptatem, commoditatem, & ornatum vitæ, ut commodiùs ea degatur, pertinet. Vt balneatorium, tonsorium, gladiatorium, saltatorium, eqvestre, & simile.*

34. *Sic* Cognoscibile *humanum universum exhaustum.* Cognitio humana *totuplex, qvotuplex Cognoscibile ipsum est, & ex speciebus ejus deducenda est.* Nempè Vel est liberalis, *& hæc* vel *principalis, qvæ* Vel *supernaturalis, Vt Theologica,* Vel *naturalis, eaq; primaria, Vt Philosophica, Speculativa & activa,*

va, & secundaria, Vt Iuridica & Medica, Vel instrumentalis, ut Pædia, Grammatica, Logica, Mnemonica, *&c.* Vel illiberalis, *Eaq;* vel *necessaria*, vel voluptaria, *Prout ex* t. *21.* seq. *plurib. sumi potest*, & in Tabul. Pansophiæ *liberalis* p. *1.2. deductum. Iam ultimò Cognitionis humanæ, adeoq;* Gnostologiæ *cura etiam subjungenda esset, modus nempè docendi discendiq; eam, qvi & impedimentorum remotione, & reqvisitorum positione absolvitur.* *Sed cum hæc ex* Cor. Log. t. *23 satis colligi possint, specialiore deductione opus non habent.* *Hæc* de Cognitione humana universà *dicta sufficiant.*

Auctarium ad Coronidem Logicam.

34. In Cognitione humanâ inprimis Theol. & Philos. *ut primaria eminent. Theologicæ natura ex* t. 21 & Pans. liber. p. *32. patet*, & in Præcogn. Theologicis *uberiùs deducetur.* Philosophicæ ex Coronide Logicâ *patescit. Sed cum ea proliixiùs ibi tractata, & omnia adduci non potuerint, hic pro auctario ad* theses de Cogn. hum *reliqva subjicere æqvum visum fuit.*

35. Prima hypothesis *de pugnâ Phil. cum Theologiâ* t. 24. *ibi proposita ita habuit.* Philosophia in se & ex se spectata, Vt habitus ex residuo lumine naturæ & principiis naturalibus exstructus est, nec ex toto, nec parte contrariatur Theologiæ, aut lumini gratiæ in eâ revelato. *Ea per aliqvot theses deducta est.* Ad th. 34. *istius loci seqventia addi possunt.* Qvòd Philosophi hostes Christianismi fuerunt, ipsi Philosophiæ imputari non debet. *Hæc semper Christianismo favit, ait* B. Rhenatus *in argum. libri Tertull. c. Valentinian. Non abjicitur à Theologiâ, sed in obseqvium ab eadem sumitur, ait Gerson* l. 1. Conf. Theol. Prof. 1. *Theologia verbum Dei tractat, Lingvas & artes non mutat, corrumpit, aut abolet, sed ministerio earum utitur, ubi oportunum & commodum est, ait*

Mentzer.

Mentzerus in just. defens. p. 6. p. 313. Tertullianus *ipse in simili argumento inter causam & culpam, statum & excessum, multum differre ait* l. 1. d. coron. *Ita hostilitas non ad statum Philosophiæ, sed subjecti interdum habentis illam pertinet.* Qvòd *Stoici, Epicurei, Corinthii, mysteria fidei riserunt, non magis Philosophiæ imputandum, ac sutoriæ vel sartoriæ arti, si Sartores Sutoresq́; id fecissent.* Nec *magis concludit, qvàm si Theologiam impiam, fabulosam, ineptam voces, qvia multi Theologi tales.* Pontificii *qvidam, imputatam justitiam rident, non qvà Philosophi, Cum Philosophia nihil de eâ sciat aut habeat, sed qvà Papistæ, h. e. Philosophiâ ad suum sensum, dogma, ac hypothesin abutentes, & Lutheranorum hostes* ἄσπονδοι *sunt.* Fortassè *non tàm dogma, qvàm qvòd nostrum sit, abominantur. Multi enim ab eo non alieni sunt,* Vt L. 2. d. fid. Christ *ostendetur. Novit Philosophia, esse Deum, justum, veracem, colendum esse. Sic ad qværendum Deum incitat, si qvis eâ rectè uti velit, Cum notitias naturales explicet.* Act. 17. v. 27. Rom. 1. v. 10. seq. *Sic doctrina de vero, bono, perfecto, ad amorem summi boni, veri, perfecti, incitat.* V. Picum Mirandul. l. d. Ente, C. 10. Conf. Tract. d. Notit. natur. C. 4.

36. Ad t. 35. hæc addi possunt: Si tale est objectum quale esse dicitur, verum est enũtiatum propter objectum. *Nulla bonitas aut malitia hominis veritatem illam immutabit, Cum à bonitate ejus veritas non dependeat, Etsi justitiam & probitatem hominis mutare possit. Et qvaliscunq́; sit veritas, sive naturalis, sive spiritualis, sive carnalis, ut qvidam vocant, dum rei suæ consentiat, veritas est, & conditione subjecti eam enuntiantis non mutatur aut falsitas fit. Sic Diabolus Deum esse dicens verum dicit, etsi Diabolus & Pater mendacii. Caiphas Prophetizans vera dicebat, etsi impius,* Joh. 11, v. 51. 13. Scriptu-

ra dicit, *gentiles veritatem Dei in mendacium commutasse*, Rom. 1. v. 25. *Et impios, licet verè jurent, mendaciter tamen jurare*, Jerem. 5. v. 2. *Ac Deum esse dicentes factis negare, omniaq; ipsis polluta esse*, Tit. 1. v. 15. 16. *E. & veritates ipsorum falsitates dici possunt.* R. Commutârunt in mendacium, *non veritatem ipsam in falsitatem vertendo, sed ad falsum ac nefarium cultum detorqvendo, Vt statim additur. Nam qvem Deum cognoverunt, non ut Deum glorificârunt, sed ad impia idola aut bruta cultum deflexerunt*, v. 21. 22. seq. *Aliàs in sese verum ab impiis in reale falsum commutari non potest. Sic & in vanum ac mendacium jurant impii, Ethicè, non Metaphysicè, qvia licet verè jurent, non tamen juratum præstant.* V. Esai. 48. v. 1. *Sic & Deum factis negant, qvia non legitimè colunt, & ita vivunt, qvasi nullus esset, ac cum omnia ipsis polluta sint, nullus verus cultus ipsis inesse potest. Non qvòd veritates Enuntiatorum, ut Deus est spiritus, colendus, verax, impietate suâ in falsitates immutare possint.* Conf. Tr. d. Not. nat. C. 4. t. 3. seq.

37. *14.* Philosophia, ut hodiè communiter in Academiis docetur, *qvædam proponit, qvæ cum Theologicis hypothesibus conciliari non possunt.* Vt, Omne *ex elementis compositum naturâ sua mortale esse*, relationem *ex sese nullius virtutis & efficaciæ esse*, futuri *Contingentis ratione nostri nullam determinatam veritatem esse*, & Deum *certâ ratione causam peccati per accidens dici posse, Vt cum legem tradit & occasiones subministrat, Vnde homo peccandi ansam arripit.* V. Rom. 7. v. 5. 8. *Qvæ omnia* Theologia *negat, & contraria illis proponit. Nam* Adamum *in integritate naturâ sui immortalem fuisse*, fidem *in relatione & ut relationem ad Christum, non ut qvalitatem justificare*, salutem, *ut futurum contingens, fidelibus certissimam & infallibilem esse, & Deum peccati causam nullâ ratione dici debere*

debere tradit. Ergò. R. Philosophia *ex elementis compositum naturâ sui & solitariè pro seipso spectatum, nullo adveniente adjectum, mortale dicit.* Theologia *non eo modo Adamum mortalem fuisse tradit, Ut tantùm ex elementis merè Physicè compositus fuit: Sed & accedente imagine Dei concreatâ, & naturali propagatione in posteros transplantandâ, ac naturam humanam perficiente, spectatum, & hactenùs in naturâ totâ in istâ perfectione concreatâ spectatâ immortalem docet.* V. Sapient. 2. v. 23. *Qvod longè diversum â priore, & nihil contrarium Philosophia importat.* Sic Philos. *relationem ex & per se, ac sui naturâ nihil operari ait. Sed* Theologia *fidem non ex relatione, sed in eâ justificare dicit, qvà in Christum ejusq; meritum respicit. Nec* fides *nuda relatio, sed & apprehensio est, qvæ actus aliqvis, qvi vi objecti sui, in qvod fertur, efficax esse potest, nec hoc repugnantiam* Philos. *infert. Sic receptio annuli, Cui hæmatites inclusus, sangvinem sistit ob illum. Ita* Philos. *futuri contingentis ex se & naturâ sui solitariè spectati non esse determinatam veritatem dicit.* Theologia *non ex naturâ sui solitariâ, sed positione causarum certitudinem facientium, Ut Dei promittentis veracitate, universali favore ac affectu, perseverantiæ concessione, benignâ gratiæ obsignatione, & per hæc hominis in fide ad ultimum usq; vitæ permansione, de salute certi qvid constare posse tradit, Qvæ sine contrarietate sunt. Ita* Philos. *Deum peccati causam per accidens ait, sed moralem & occasionalem, qvà legem tulit, unde per accidens peccatum ortum & roboratum,* Rom. 7. v. 5. 8. 9. *Et qvâ naturam, qvæ peccat, conservat, vim ad motum ac vitales operationes largitur, ad ea influit, concurrit, ac multa permittit, qvæ ui impedire posset.* Theologia *negat ullâ ratione sic dicendum, nempè ut culpæ aliqvid in Deum derivetur, inordinatio, occulta volitio, motio, instigatio, subjectorum impulsio, tractio aut*

simile qvid ad peccandum ipsi tribuatur, Ac ut Causa per accidens se velut altera species Causæ efficientis habeat; ut in eam per se & eam per accidens dividatur, prout qvidam Logicor. & Metaphysicorum *dividere solent. Sic enim efficiens Causa per accidens peccati Physica homo ejusq́ voluntas est, Moralis Diabolus. Hæc etiam citra oppositionem sunt.*

38. 15. Sapientia Carnis est inimicitia contra Deum. Rom. 8. v. 7. Philos. est sapientia Carnis, *non enim spiritus & hominis regeniti, ut sic, nec inter opera spiritus ut sic numerari potest. Sic enim in solis fidelibus esset. Inter sapientiam autem Carnis & spiritus nihil medii est, Cum immediatè Caro & spiritus in sacris opponantur.* R. Minor falsa est. Philos. *nec sapientia Carnis & irregeniti, nec spiritus & regeniti, in qvantum isti tales sunt, sed naturæ rerum est, qvæ tertium inter duo extrema esse potest, ubi tria operum principia esse possunt,* Spiritus, Caro, & Natura. *Sic edere, bibere, loqvi, generare, cantare, nec spiritus, nec carnis; sed* naturæ *sunt opera, naturam pro principio agnoscentia, in sese indifferentia, morali vel spirituali modo nec bona nec mala.* In operibus Theologicis ac spiritualibus *& in foro Conscientiæ nihil medii inter Carnis & Spiritus opus est, & hactenus Scriptura opponit,* Gal. 5. v. 16. seqq. *Benè tamen* in operibus in universum, *Ubi naturalia ac spiritualia simùl exhauriuntur, Sic artes civiles, liberales & illiberales, principales & instrumentales, Naturæ intellectivæ sunt opera, Rugire, latrare, generare, augere, sensitivæ. Frustra hæ ad opera Carnis a. spiritus redigi allaborantur.* Caro *in Sacris spiritui opposita corruptionem & malitiam notat, & qvicqvid inde est, malum & abominabile, ac in irregenito tantùm est.* Joh. 3. v. 6. Rom. 8. v. 4. 5. seq. Gal. 5. v. 16. seq. *Sed* Philosophia *etiam in regenito esse potest. Sic Adamo integro, Patriarchis, Mose, Salomone Paulo,*

Paulo, &c. Cœtera, *quæ hic moveri solent*, *apud* Grauverum de unâ verit. I. Martini C. 1. d. 1. q. 1. Et L. 2. spec. Ration. Keckerman. in Præc. Philos. Meisnerum procem. p. *1*. Ph. sob. Et f. 4. C. 2. q. 3. Scheiblerum de Philos. n. 137. Keslerum qvadriga discurs. Vedelium L. 3. Rat. Theol. C. 2. seq. aliosq; *videri possunt*. *Et ex* Tract. de Notit. Natur. C. 4. *qvædam patent*.

39. *Sic* primum *de Philosophiâ enuntiatum confirmatum sit*. Dico II. Philosophia ex conditione lapsus & hominum, in qvibus est, spectata, contrariari potest Theologiæ, & de facto sæpè contrariatur. V. Ephes. 4. v. 17. 18. *Et huc pertinent dicta* t. 34. Coronid. *citata*. *Ita intellectus humanus corruptus est, principia sua generaliter etiam in Theologicis applicata vult, & ex illis mysteria fidei oppugnat. Hæc rationem mystica, ut Trinitas, Incarnatio, Resurrectio, homini animali stultitia sunt*, 1. Cor. 2. v. 14. *Sic veritas Philosophica, quæ putatur à Philosopho, sæpè Theologiæ contrariari potest. Sic* Cum in Philosophia *leges de possibilibus scribendæ dicuntur, statim ad leges Dei in Theologicis & statu Corruptionis id applicatur*. Cum boni qvid *agendum, Naturæ semina subesse debere docetur, statim ad opera spiritualia ex nobis producenda in foro Theologico id adhibetur*. Cum signum *non signatum esse dicitur, nec panem Cœnæ Corpus Christi esse inde infertur. Et* variis modis *sic Contrarietas inferri potest*. *1*. Falsa *ac nova principia confingendo, & ex illis Th: oppugnando*. 2. Vera *disciplinarum principia alienè extra suum territorium extendendo, eaq; detorqvendo*. *3*. Mystica *nimis rigidè ad rationis terminos & Canones exigendo ac revocando*. 4. Canones *rationis etiam veros intempestivè adhibendo* . 5. Dominium *rationi in mysticis concedendo, Cui debebatur ministerium & famulitium, aliisq;*

modis.

modis. V. Dec. 1. Misc. d. 8. t. 2. seq. Et in Præcogn. Theologicis s. 1. C. 8. t. 9. 10. *pluribus deducetur.*

40. Dico III. Philosophia hoc modo spectata mysteria fidei oppugnare non debet, & expugnare non potest. Oppug. non debet: *Est enim disparata omninò disciplina à Theologiâ, disparato objecto, & considerandi modo & fine prædita. At ex disparatis considerandi modis vera oppugnatio fieri non debet, non enim feriunt* ὁσαύτως *& ad eundem modum & respectum, qui hic semper observari debet.* V. dec. 1. Mis. c. l. *Est præterea per lapsum & conditionem hominum corrupta, cæca, obscurata. At tale qvid Theologiam, ut lumen clarissimum, oppugnare non debet. Et huc pertinet, cum Authores hanc mulierem, Rationem, tacere debere in Ecclesiâ dicunt, Buscher. in paræn. Cum canem balneo exesse debere dicunt,* Pareus l. 4. d. lib. arb. c. 16. *Cum Athenis & Hierosolymis nihil commune esse dicunt. Hic ratio in qvantum corrupta, captivanda, ne dominetur, non ut ratio & lumen naturale adhuc in homine est, prorsus extingvenda, ut emoriatur, aut trucidanda, ut sepeliatur. Non debet insolescere per dominii affectationem: Sed nec brutescere per totalem omnis discursus abdicationem.* Conf. Tr. d. Not. n. C. 4. t. 12. Expugnare non potest; *Nam corruptum incorruptibile, egenum validum, natura creatorem, expugnare nullo modo potest.*

41. *Fuerunt* affectiones Philosophiæ consentaneæ: Dissentaneæ sunt, *qvæ naturæ ejus non conveniunt, sed ab eâ disparantur. Suntq́;* partim diversitas ab *omnibus cæteris habitibus realib. & instrumentalibus,* V. Coron. Log. t: 3. Et ab *instrumentalibus differre eo ipso patet, qvòd instrumenta nunqvam veræ partes propriè loqvendo illorum sint, qvorum sunt*

instrumenta, ut alibi docebitur: Partim Oppoſitio *ejus ad nonnulla, qvalia ſunt,* Ἀφιλοσοφία *ſ. mera ignorantia, qvam fratres Ignorantiæ ſimplicitatem vocant.* V. Scaligerum ex. 6. ſ. 4. & ex. 307. ſ. 3. 26. *Qvi in ore habent dictum hoc:* Omne Philoſophari eſt ſcortari: Et qvi vult amicus eſſe Dei, caveat ſapientiam Philoſophi. Om. uſus rationis in Theologiâ eſt abuſus. *Qvibus meritò opponetur illud: Philoſophiam, explicationem luminis Naturæ, ex homine tollere, & lumen Naturæ in homine damnare, eſt hominem in homine damnare, & hominem ex homine tollere.* Uſus rationis *in Scripturâ adhibetur, non prohibetur;* Interdum *& commendatur, non rejicitur, ac multis modis componendo & reſolvendo, adſtructoriè & detractoriè, utilis ac neceſſarius eſt, non ſuper fluus, ut plurib. alibi dicetur.* V. d. 1. Log. t. 25. Dec. 1. Miſc. d. 10. *Nec* Scriptura *brutis eſt data, ſed hominibus intellectu præditis, & qvi ſenſum verborum eruere, aſſeqvi, & defendere poſſint, Mediaq́ ad id aſſeqvendum adhibere debeant,* Joh. 5. v. 39. Joſue 1. v. 8. Coloſ. 3. v. 16. Et Κακοφιλοσοφία, *qvâ Phil. diſtorqvetur ad vanitatem ſubjectorum utentium, ut ad imponendum, incruſtandum, oſtentandum, veritatem ſubruendam, falſitates ſpecie veri inducendas, homines deprædandos & ſimilia peregenda.*

Auctariorum vice.

I

D*Væ naturæ* Chriſti à Deo conjunctæ, in Deo unitæ, adeò inſeparabiliter ſunt unitæ, ut nec in morte unio earum perſonalis ſit ſoluta, ſed & in triduo mortis hic homo mortuus ſcil. & in Deum aſſumptus, filius Dei viventis fuerit, etſi

etſi pro eo ſtatu non univocè dictus, & Phyſicè vivus homo fuerit, nec iſto mortis triduo extra ſuam hypoſtaſin logos depoſuit, qvæ ſemel asſumpſit, Corpus & animam humanam: Etſi *unio animæ & corporis naturalis* ſoluta fuerit, & ſic naturalis vivusq; homo Chriſtus non manſerit. Fuit homo in Deo & in perſonâ Verbi. Sed non in animâ per Phyſicam unionem Corpori ſuo unitâ. Qvod verbum asſumpſit, ſcilic. qvantùm ad rem ipſam & partes, nunqvam depoſuit. Hæ anima & Corpus fuerunt, qvæ & in morte retinuit: benè qvantùm ad partium modum & rationem, qvæ fuit unio earum naturalis, & in morte ſoluta fuit. Hic ad tempus modus aliqvis relictus, cum res ipſæ nunqvam ſolutæ fuerint.

2. *Propoſitiones, Deus eſt pasſus*, annumerantur enunciatis paronymis propriis, non qvòd verum accidens proprium ibi prædicetur: ſed qvòd extraeſſentiale prædicatũ myſticum appropriatum.

3. *Pasſus eſt Chriſtus totus, Deus & homo*, ut ſubjectum Qvod, adæqvatum, & denominationis, unde Deus dicitur redemisſe Eccleſiam, *Act. 20. v. 28.* Princeps vitæ ac Dominus gloriæ interfectus, *Act. 3. v. 15. 1. Cor. 2. v.* 8. Pasſus eſt carne, ut ſubjecto qvo, immediato, & receptionis, unde σαρκὶ παθὼν dicitur, *1. Petr. 3. v. 18. C. 4. v. 1. Patres qvidam* Deitatem pasſam ajunt: ſed impatibiliter, & citra σύγχυσιν Eutychianam, Monotheleticam, aut Theopaſchiticam niſi Monotheleticè vel Eutychianè explices. Nec inde ſolam carnem pasſam dices, ut nec ſolum corpus hominis mori, ſi hominem ſecundùm corpus mori aſſeveres. Compoſitum enim disſolvitur, qvod unicam ejus partem dicere inaccuratum eſt.

Gloria in excelſis Deo.

MANTISSA
Respondentis
Coronis Theologica.

VTrum denarius Matt. 20. 2. 4. seqq. sit Vita æterna? Neg.

Coronis Metaphysica.

1. Utrum Deus Ens Nominale aut Participiale dici debeat?
2. An Anima sit multipræsens? A.
3. An Totum posſit esse sine partibus? D.
4. Utrum non Ens simpliciter sit intelligibile? N.
5. An Finis Efficiente prior sit? D.
9. An qvoddã Accidens sine subjecto existere posſit. D.

Coronis Physica.

1. Num sensus magis sit Pasſio qvàm Actio? D.
2. Utrum stellæ priores sint Cœlo? D.

Coronis Logica.

An plus sit in specie qvàm in Genere? D.

2. An numerus fallaciarum in Logicis ad numerum terminorum unde fallacia deducitur, an potius ad fallendi modum qvo proceditur, multiplicari debeat? post. A.

Coronis Ethica.

1. Utrum Honor sit honorantis vel honorati? D.
2. Utr Ira & Iracundia differant? A.

Coronis Politica.

1. Utr. Adami potestas fuerit Magistratus D.
2. Utr. Judas proditor Christi fuerit Avarus, Simoniacus, obsessus, infidelis & damnatus? A.

Coronis Juridica.

Utr. Fur rupto laqveo, incolumis de Cruce prolapsus, denuò sit suspendendus? D.

Coronis

Coronis Chronologica.

1. Utr. Diluvium Univerſale Noachi Vere an Autumno contigerit? Poſt. A.
2. Qvâ die ſeptimanæ Manna Iſraelitis cœlitùs demiſſum ſit, an primâ, ut Se der Olam & Patres qvidam; an ſecundâ, ut Salianus aliiq; volunt? Prius A.

Paradoxon Phyſicum.

1. Qvicqvid mutatur vel ex ſubjecto in ſubjectum, vel ex non ſubjecto in ſubjectum; vel ex ſubjecto in non ſubjectum mutatur: non autem ex ſimpliciter non ſubjecto in non ſubjectum. Primus modus eſt motus propriisſimus: Secundus & tertius impropriisſimus: qvartus omninò nullus.
2. Datur qvidam Sal, qvi non disſolvitur in aqva.

Reſpondenti

REbus in humanis ſapientia prima Jehovam
Noſſe eſt, cum recta cognitione ſui,
Veras rerum tum rimari indagine cauſas
Scrutariq; ortus divite mentis ope,
Progreſſus, fines, uno percurrere curſu
Rem totam laudem dicere poſſe, dabit.
Hoc dum Reſpondens onus in Te ſuſcipis, illud
Fauſtiter ut peragas, gratulor ex animo.
Qvicqvid erit laudis, qvod cura laborq; merentur
Id cumulet plena ſors Tibi dextra manu.

Benevolentiæ ergo appoſuit
Dn. Hoſpes Michaël Rötherus.
Scholæ Petr. Paul. ConR.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0019291